O. 8. 1575.

P. lat. 1611. e

Possidius

S. IV. 397.

"Indiculum (opp. S. Augustini) omisimus", p. 83.
Possidii opusculum igitur non integrum exhibuit Sal.

pag. 949.

S. AURELII
AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
VITA

AUCTORE
S. POSSIDIO
CALAMENSI EPISCOPO

ad MSS. Codd. recensita, Notisque illustrata
Opera & Studio
D. JOANNIS SALINAS
Neapolitani, Can. Reg. Congr. Lateranensis.

Accessit
MICHAELIS III.
Ad exemptas Insulas Wengenses Cann. Regg.
Ulmæ Suevorum PRÆLATI, S. Cæs. ac Cath. Maj.
Consiliarii & Sacellani perpetui
DISQUISITIO CRITICA
de variis Gestis, Dictis ac Visionibus S. Augustino
falso aut minus solide attributis.

SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Apud Fratres VEITH, Bibliopolas.

MDCCLXVIII.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

MONITUM EDITORIS

AD

BENEVOLUM LECTOREM.

D. Joannes Salinas Neapolitanus & Congregationis Lateranensis Canonicus Regularis ad sæculi currentis initium floruit. Vir præstantissimi ingenii ac indefessæ industriæ tantam in sublimioribus scientiis sibi comparavit eruditionem, ut Theologicam moderandi Cathedram mandatum a superioribus suis obtinuerit, quod munus tanta cum laude gessit, ut viri doctissimi nomen brevi tempore sit consecutus. Litteratæ Italiæ

eruditi doctas suas lucubrationes, quas publicæ luci exposuit, semper magnis celebrarunt encomiis. *NOTAS*, quibus præsentem S. Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi vitam Auctore S. Possidio Calamensi Episcopo conscriptam, illustravit, ac ita illustratam Romæ anno 1731. edidit: *Omnigena Eruditione, animadversionibusque ad illustrandam Sancti Augustini historiam aptissimis refertas* vocat magnum illud musarum decus Joseph Simonius Assemanus Bibliothecæ Vaticanæ Custos, ut videre est in operis hujus approbatione. Laudat Salinasium beatissimæ memoriæ Benedictus XIV. P. M. in præstantissimo suo opere de Servorum Dei beatific. & Canoniz. L. III. Cap. VIII. n. 8. ubi ait: *quatuor sunt gradus Historicorum; primus scilicet eorum, qui ea, quibus interfuerunt, quæque geri viderunt, litteris tradiderunt; qua ratione Possidius Episcopus Sancti Augustini vitam didicit & scripsit. Etsi Joannes Clericus homo heterodoxus tom.* 11. *in append. ad Opera S. Augustini pag.* 622. *Vitam sancti Doctoris scriptam a S. Possidio insimulat, quasi in Augustini exponendis gestis aliquid dedisset gratiæ & amicitiæ.*

VER-

VERUM CALUMNIAM IPSAM STRENUE REPELLIT JOANNES SALINAS CANONICUS REGULARIS LATERANENSIS NUPER BONORUM OMNIUM MOERORE VITA FUNCTUS IN PRÆFATIONE AD VITAM. S. DOCTORIS SCRIPTAM A S. POSSIDIO, QUAM NOTIS ILLUSTRAVIT. Docti Jesuitæ Antwerpienses ita probarunt Salinasii nostri laborem: ut frequentissime illius *NOTIS* hoc ipsum S. Possidii Opusculum tomo VI. August. insertum illustrarint. Reliqua scripta, quibus orbem litterarium ditavit, sunt sequentia:

De Vita & rebus gestis S. Possidii Calamensis Episcopi Dissertatio ex B. Augustini scriptis Ecclesiasticisque monumentis concinnata. Romæ MDCC. XXXI.

Sanctorum Vincentii Lirinensis & Hilarii Arelatensis Opera ad MSS. Codd. insigníoresque editiones recognita, ac notis observationibusque illustrata. ad SS. Patrem Clementem XII. Pontificem Maximum. Romæ MDCC. XXXII. In hujus operis præfatione promisit Dissertationem Apologeticam, per illam sanctos Viros Vin-

centium Lirinensem, Hilarium Arelatensem, Honoratum Massiliensem, aliosque Lerinæ colonos a nota Semipelagianæ ingratæque labis liberaturus, sed fors priusquam illam vel compleret, vel edi curaret, præmatura mors excussit calamum. Ex his Benevolus Lector colliget, me Viri minime incelebris aut obscuri Opusculum eidem commendare. Utile illud omnibus futurum existimo, qui Eruditionem Ecclesiasticam amant, & præsertim maximi hujus Ecclesiæ Doctoris Encomiastis, & Sacris Verbi divini præconibus, non injucundum fore spero, quibus insuper ad cautelam *DISQUISITIONEM CRITICAM, IN QUA VARIA DICTA, GESTA, AC VISIONES FALSO, AUT MINUS SOLIDE S. AUGUSTINO HIPPONENSI EPISCOPO ATTRIBUTÆ EXAMINANTUR*, adjunxi. *Precor* hos omnes cum Hilario Pictaviensi lib. de Synod. n. 6. *ne de me aut de quæstionibus in hac disquisitione disputatis, ante sermonis consummationem per litterarum exordia existiment judicandum. Iniquum est enim, non comperta usque ad finem ratione dictorum, præjudicatam sententiam ex initiis, quo-*

rum

rum cauſa adhuc ignoratur, afferre, cum non de inchoatis ad cognoſcendum, ſed de abſolutis ad cognitionem ſit judicandum. Addidi ſub Disquiſitionis finem inſignem de S. Auguſtino E. D. Panegyricum a Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Spiritu Flechierio Epiſcopo Nemauſenſi, ac Abbatiæ ſancti Severini Cann. Regg. S. Auguſtini Diœceſis Pictavienſis Abbate commendatario habitum, ac ex Gallico Idiomate ab A.R.D. Gregorio Trautweinio ad exemptas Inſulas Wengenſes Ulmæ Decano in linguam latinam eleganter translatum, ut Sacri Oratores paradigma habeant, quod imitentur. Plura de hac intentione mea occurrent in Disquiſitionis Criticæ proœmio, ac concluſione. Vale Benevole Lector, & Deum pro me ora.

NOS D. ASCANIUS VARES. PATAVINUS,

Congreg. Canonic. Regul. Lat. Abbes Generalis.

Quum duo ex nostræ Congregationis Theologis, quibus curam injunximus perlegendi, atque examinandi Opus a P. D. Joanne Salinas Canonico nostro professo, ac S. Theologiæ Lectore elaboratum, cui titulus est: *S. Aurelii Augustini Vita Auctore S. Possidio &c.* Opus hujusmodi attente perlegerint, & sedulo examinaverint; quumque se nihil in eo fidei, bonisque moribus adversum reperisse testati sint; Idcirco nos pro muneris nostri auctoritate licentiam concedimus, quantum in nobis est, ut in lucem edatur, si aliis, ad quos

per-

pertinet, ita videbitur, ac omnibus aliis ſervatis de jure ſervandis. Ita omni meliori modo &c.

Datum Mediolani in Canonica noſtra S. Mariæ Paſſionis die 24. *Aprilis* 1731.

D. ASCANIUS VARESIUS
Abb. Generalis.

D. PAULUS RINALDI
Abbas Sec.

DEmandante R.mo P. Joanne Benedicto Zuanelli Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, quam potui accurate perlegi Opus inſcriptum : *S. Aurelii Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi Vita &c. opera & ſtudio D. Joannis Salinas Canonici Regularis Lateranenſis , Sacræ Theologiæ Lectoris* : nec in eo quidquam offendi , quod Catholicæ fidei , aut Chriſtianæ pietati adverſetur ; quin potius refertum eſſe deprehendi omnigena eruditione , animadverſionibus ad

 illu-

illustrandam Sancti illius Patris historiam aptissimis Itaque futurum confido, ut in rei litterariæ utilitatem cedat, si typis excudatur.

Romæ e Vaticana Bibliotheca
die 10. *Jul.* 1731.

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS
Bibliothecæ Vaticanæ Custos II.

MAndato R.mi Patris Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Apostolici Palatii Magistri perlegi opus, cujus titulus est: *Sancti Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi Vita, Auctore S. Possidio Calamensi Episcopo ejus discipulo &c. opera & studio D. Joannis Salinas Can. Reg. Lat. Sac. Theol. Lectoris*: In quo opere omnia sana ingenii perspicacitate, ac eleganti eruditione ornata quin ex Auctoris calamo aliqua exciderint, quæ fidei dogmatibus, Apostolicis constitutionibus, bonis moribus, hominumque sacrorum institutis adversarentur, non sine magna animi mei voluptate esse comperi. Dignum propterea censui Au-

ctoris

ctoris laborem prælo mandandum; nedum litterariæ Reipublicæ futurum utilem, verum Ecclesiæ Patribus vetustioribus decus, Ecclesiasticæ Historiæ illustrationem, & perjucundis Auctoris studiis laudem comparaturum.

Romæ in Col. S. Mariæ de Transpontina die 14. *Junii* 1731.

F. PETRUS THOMAS CACCIARI Carmelita S. Theologiæ Magister, & Doctor, in eodem Collegio Regens; nec non Universitatis Bononiensis publicus Professor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rev.mo Patri Magist. Sac. Pal. Apost.

N. BACCARIUS Episc. Bojan. Vicesg.

INDEX

INDEX CAPITUM

Vitæ AUGUSTINI a Possidio scriptæ.

PRæfatio Generalis. - - pag. I

Veterum testimonia de S. Possidio, & Vita Augustini ab eo scripta. - 1

Præfatio in Vitam Augustini auctore Possidio. - - - 5

Caput I. *Augustini ortus, conversio, & baptismus.* - - 8

Cap. II. *Relictis omnibus suscipit propositum serviendi Deo, jam annis major triginta.* - - 12

III. *Secessus Augustini.* - - 14

IV. *Capitur ad presbyterii gradum.* 16

V. *Monasterium instituit.* - - 18

VI. *Conflictus Augustini cum Fortunato Manichæo.* - - 21

VII. *Libri & Tractatus Augustini contra fidei hostes ab ipsis etiam hæreticis ingenti ardore excepti.* - - 25

VIII. *Designatur Episcopus vivo Valerio, & a Megalio Primate ordinatur.* 27

IX. *Pugnat cum Donatistis.* - - 30

X. *Circumcellionum furor.* - - 32

XI. *Profectus Ecclesiæ per Augustinum.* - - 38

XII. *Augustinus paratas sibi insidias errore ductoris vitat.* - - 43

XIII. *Pax Ecclesiæ per Augustinum.* 52

XIV. *Emeritus Episcopus Donatista superatur.* - - 55

XV. *Digressione concionantis conversus negotiator, nomine Firmus.* - 61

XVI. *Manichæorum exsecrandæ turpitudines detectæ.* - - 63

XVII. *Pascentius Comes Arianus in Collatione revincitur.* - - 65

XVIII. *Pelagianistæ novi hæretici, expugnati & condemnati.* - - 70

XIX. *In caussis audiendis quomodo se gesserit Augustinus.* - - 83
XX. *Pro reis quomodo intercesserit.* 88
XXI. *Conciliis quo animo interesse soleret. In ordinandis Sacerdotibus major consensus, & Ecclesiæ consuetudo sequenda.* - - 89
XXII. *In vestitu & victu qualis fuerit Augustinus.* - - 91
XXIII. *In usu redituum Ecclesiasticorum qualis.* - - 96
XXIV. *In re domestica qualis.* - 97
XXV. *Disciplina Domestica qualis.* 107
XXVI. *De convictu Fœminarum.* 110
XXVII. *Officium erga destitutos & ægrotantes.* - - 112
XXVIII. *Quæ proxime ante mortem ab Augustino edita.* - - 117
XXIX. *Morbus extremus Augustini.* 127
XXX. *Consilium, an hostibus adventantibus ex Ecclesiis Episcopis recedendum sit.* - - 129
XXXI. *Mors & Sepultura.* - 152

EPISTOLA AUGUSTINI
ad Honoratum, a Possidio Vitæ inserta per numeros distincta.

I. *Scripta est Epistola anno Ch.* 438. *aut* 429. *quæ extat in Tom.* 2. *Op. num.* 228.

II. Licitum est fugere quum quis specialiter quæritur ad necem.

III. Ex Charitate patiuntur, qui urgente communi periculo non fugiunt.

IV. Plus est non deserere Ecclesiam in communi periculo, quam fugere, & potius comprehensum, pati martyrium.

V. Non deserendæ sunt plebes in periculis; & qui hoc facit vel errore decipitur, vel timore vincitur.

VI. Exponuntur dominicæ sententiæ de fuga, & de mercenario, cui non est cura de ovibus.

VII. Timore malorum temporalium non est subtrahendum ministerium pietati necessarium.

VIII. Imminente periculo omnes ad Ecclesiam currunt consolationem & sacramenta requirentes.

IX. Ex præsentia Clericorum multa bona in periculis consequitur fidelis populus.

X. Re-

X. Recte nonnulli ſe conſervant ob magnam Eccleſiæ utilitatem.

XI. Quid agendum eſt quum ſoli Miniſtri Eccleſiæ quæruntur.

XII. Sorte legendi ſunt qui maneant, aut fugiant ex Eccleſiæ miniſtris, ne omnium morte vel fuga deſeratur Eccleſia.

XIII. Plebe recedente licitum eſt Eccleſiæ Miniſtris abire.

XIV. Totius Epiſtolæ Epilogus.

Accedit

Diſquiſitio critica de variis Geſtis, Dictis, aut Viſionibus S. Auguſtino falſo aut minus ſolide attributis.

PRÆFATIO.

Ne laudabilem ac ſolennem Editorum omnium morem, in operis fronte ſui Inſtituti atque conſilii rationem aperientium, contemnere videar; prorſus neceſſe eſt in veſtibulo, Religioſe Lector, paucis te alloqui, ob reddendam cauſſam de Beatiſſimi Præſulis Auguſtini vitâ a Poſſidio ſcriptâ, quam ad Mſſ. Cod. Vaticanos emendatam dare placuit, adjectis inſuper nonnullis notis & obſervationibus. Neminem certè latet catholicam doctrinam, quæ eſt ipſum Verbum Dei, ſive vivâ traditum voce, noſtræ fidei ac ſalutis fundamentum, non tantùm reſpicere veritates, quas credere oportet, ſi Deo placere volumus, verùm & regulas, quibus noſtri

regendi ac informandi ſunt mores. Et quoniam tam credendarum quàm agendarum rerum puriſſima veritatis unda per duos veluti alveos ad nos usque promanat, nempe per Sacram Scripturam, ac Sanctorum Patrum ſcripta: Sequitur, ſicuti morum præcepta nullibi clariùs in divinis tradi eloquiis, quàm ubi integerrimæ vitæ ac magnæ probitatis homines exhibentur; ita ſimili lege, illæ Beatorum Patrum lucubrationes propiùs noſtros dirigere ac componere videntur mores, quæ ſanctam majorum noſtrorum converſationem in terris produnt & demonſtrant.
Matth. 5. *v.* 14. Quum enim Sanctus quisque ſuper montem ædificata civitas ſit, ac accenſa ſuper candelabrum lucerna in
Apoc. 1. *v.* 13. ſeptiformi claritate colluceat; jam ſuo fulgore illuminat eos, qui ſub modio peccatorum deliteſcunt, ac geſtis, operibusque claris, quaſi magnâ luce, perfundens homines, in eandem adducit lucem, in qua ipſe olim verſatus eſt, ſuper aurea candelabra conſpicuus:
Pſal. 118. *v.* 105. hinc Sanctorum Virorum vita lumen Eccleſiæ filiis eſt, & quaſi oleo lucernæ
Matth. 5. *v.* 17. ipſorum, fidelium impinguatur caput; inquantum charitatis fervore accenditur fides, ac de ſpiritu illorum cibus mentis, & lumen animæ ſumitur.

II. Quod licet omni ex parte verum ſit de quolibet ex ſanctis hominibus, quorum exemplis fidelium vita ſuper terram inſtruitur & roboratur; neſcio tamen, quo modo ampliùs, veriùsque compareat in vita & moribus prædeſtinati, ac ſuo tempore præſentati optimi Hipponenſis Epiſcopi Auguſtini; ut acriter intendere animum ad reſciendam ejus vitam, qui mores fuerint, quibus artibus tantas Eccleſiæ pepererit utilitates, quum jucundum tum utile videatur. Nec ſanè mirum; quoniam inter cunctos, qui gregis ſancti extitere vigiles & paſtores, hunc præcipuè JEſu Chriſti meritis & ſanguine acquiſita gratia cornu afflavit uberiore, deditque, ut loquitur Proſper Aquitanus, quaſi lumen

Accenſum vero de lumine: Nam cibus illi,
Et vita, & requies Deus eſt, omnisque voluptas
Unus amor Chriſti eſt, unus Chriſti eſt honor illi.
Et dum nulla ſibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in Sancto regnat ſapientia templo.

S. Proſp. in carm. de Ingrat. cap. 3. *a v.* 92. *usq. ad* 98.

Matt. 13. *v.* 52. Fuit enim non tantum eruditus ſcriba in Regno Cœlorum proferens de mentis theſauro nova & vetera; verùm ex illorum numero, ad quos dictum eſt: *Sic loquimini, & ſic facite*, & de quibus Servator pronuntiavit: *Qui fecerit, & docuerit ſic homines, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Unde quemadmodum os ejus fiſtula extitit aquæ vivæ, ac vena fontis æterni ob doctrinæ præſtantiam, cujus ubertate non minus inebriatæ, quàm lætificatæ ſunt fidelium mentes: ita optimi Præſulis in hoc ſeculo converſatio propter morum eximiam probitatem, verè fuit ſal terræ, quo præcordia noſtra, ne poſſint ſeculi errore vaneſcere, condiuntur. Exclamare proinde de ſancto homine decet & libet cum Paulino Nolano Antiſtite: „ O! lucerna dignè „ ſupra candelabrum Eccleſiæ poſita, „ quæ latè Catholicis Urbibus de ſeptiformi lychno paſtum oleo lætitiæ „ lumen effundens, denſas licet *vitiorum* * *& hæreſum* caliginem diſcutis, „ & lucem veritatis a confuſione tenebrarum, ſplendore *clarificæ vitæ* & „ ſermonis enubilas. „ Nullus ergo eſſe poteſt timor, quin ætatis noſtræ homines mihi indignentur, quia novis typis Auguſtini vitam à Poſſidio olim ſcriptam, prô quali ac quanto viro! com-

Jacobi 2. *v.* 12.

S. Paulin. Ep. 41. *quæ eſt* 1. *in ord. ad Aug.*

* Paulin. *hæreticorum.*

committere curavi in brevi & exiguo libello, ut ſic facillimè per omnium volitet manus.

III. Quamvis enim a doctiſſimis viris, ſive quos tantoperè noſtra ſuſpicit ætas, ſive quos ſummis laudibus noſtrorum Patrum æquitas proſequuta eſt, ob correctos & emendatos Auguſtini libros, vel in fronte, vel in fine horum appoſita ſit hujus vita a Poſſidio ſcripta: Fortè ut accenderentur fideles ad voluminum lectionem, ad quam vehementer ducit authoris cognita vita, præſertim quia *fideliori & veriori narratione expoſita ab iſto eſt*, ut Apoſtolico Pii V. Teſtimonio conſtat: Propterea dignum apparuit iisdem impellentibus cauſis tam illuſtre antiquitatis monumentum in parvo exhibere libello, ut ſine magno ſumptu a tenuioribus comparetur, ac e nullius poſſit excidere manibus. Non tamen in nova hac editione aliorum, qui ampliora illa poſſident volumina, commodum negleximus, quando (ut noſtræ permiſere vires) caſtigatiorem dare conati ſumus ope quinque Mſſ. Codic. Bibliothecæ Vaticanæ, quos alii Editores non conſuluere; & quos ſumma humanitas Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Præſulis, ejusdem Bibliothecæ digniſſimi Præfecti D. Caroli Majella omnium, ac præ-

Vid. Bullar. Lat. noviſ. Edit. pag. 296.

ſertim Eccleſiaſticarum litterarum bono nati, conceſſit. At! quid præſtitum à nobis ſit, paucis aperire oportet; ſic occaſione arreptâ nonnulla etiam de Poſſidio dicentur.

IV. Ut concinnior nitidiorque vita prodiret, conſuluimus inſigniores editiones antehàc publicâ luce donatas, ut eſt illa Joannis Ulimerii Canonici Regularis Monaſterii S. Martini Lovanii; qui plurimam commeritus eſt laudem in Auguſtini operibus illuſtrandis & reſtituendis, nec minorem in Poſſidii Opuſculis, licet exiguis. Et ut appareat quantus doctiſſimo viro debeatur honor ſive ob Auguſtini vitam emendatam, ſive ob reſtitutum primò Poſſidii indiculum, quo nihil utilius, ejus verba hîc recitare non piget. In præfatione namque ad Auguſtini ſermones, aliaque Opuſcula a ſe edita Lovanii apud Hieronymum Vellæum Anno 1564. exponens innumeros labores, quos ſuſtinuit in Auguſtini Opuſculis reſtituendis, temporis præſertim acerbitate & iniquitate, refert inter illas anguſtias, caſu quodam reperiſſe Poſſidii indiculum, unà cum vita, quibus tantâ ſe perfuſum lætitià indicat, ut abunde ſibi laborum pretium perſolutum cenſuerit: „ Hoc „ unum, inquit, boni accidit

„ ac

„ ac fortè fortuna ejusdem B. Augu-
„ ſtini vitam his adjunctam legentibus
„ repertum fuerit. Indiculum dico
„ a Poſſidio Epiſcopo priùs in vita
„ promiſſum, poſteriùs verò compo-
„ ſitum. „ Et in Epiſt. ad D. Joannem Pamelium Canonicum Brugenſem 9. Aprilis eodem anno paullò ante data differens de eodem indiculo, innuit locum, ubi reperit, unà proinde cum vita, cui erat ſubjectus. „ Indi-
„ culum in hunc usque diem omnes
„ qui Auguſtino non favere non poſ-
„ ſunt, haud citra ſummam expecta-
„ tionem votis ardentiſſimis deſidera-
„ runt, ne poſthac (ut rectiſſimè ſcribis)
„ Cenſorum quorumdam temerariis ju-
„ diciis fluctuarent incerti. Ego non
„ alibi à me inventum, ac nusquam
„ extare exiſtimatum, in Villarienſis
„ Abbatiæ Venerandæ antiquitatis co-
„ dicibus longe inſtructiſſimâ Biblio-
„ thecâ excutiendâ occupatiſſimus,
„ ac tuo exemplo, illius avidiſſimus,
„ nihil minus cogitans, reperi. „ Non neglleximus etiam Lugdunenſem Editionem anno Chriſti 1563. apud Sebaſtianum Honoratum, ac illam, quæ ex Frobenii prodiit Officinâ Baſileæ anno Chriſti 1529.: potiſſimùm tamen uſi ſumus laboribus PP. S. Mauri, qui libellum dant Tom. 10. Oper. S.

 Doct.

Doct. post appendices omnes in fine; quorum variantes lectiones depromptas ex Codicibus sex, nempe duobus Floriacensibus, Germanensi, Vedastino, Fossatensi, ac Cisterciensi repraesentamus, ut nulli fructus sui laboris pereat. His addimus notas, & observationes majori ex parte nostras, quasdam verò ex lucubrationibus Doctissimorum hominum excerptas; ut omni ex parte illustraretur tam insigne Ecclesiae monumentum; ob quam caussam censuimus non esse abstinendum à variis lectionibus consideratione non prorsus indignis, quas exhibent quinque Mss. Cod.; quorum duo extant in Biblioth. Serenissimae Svecorum Reginae sub num. 541. & 1025., tres verò alii in Vaticana reperiuntur num. 1188. 1190. 1191. Horum Codicum authoritate, aliisque urgentibus caussis loca quaedam restituimus: parcè tamen & verecundè usi in hac parte sumus judicio nostro; tum quia fuit nobis vehementer suspectum; tum quia utilius est, minúsque fastidio ac taedio obnoxium, aliorum sequi emendationes, quàm novas inferre, ne sterilibus quaestionibus pateat aditus. Ubi autem res gravioris visa est momenti, designare etiam proprio nomine Codicem placuit.

V. His

V. His igitur expositis, opus est nunc Joannis Clerici de Possidii Opusculo censuram ad examen vocare. Vir ille in Animadversionibus ad Augustini opera, terminum amaris virulentisque censuris imponere est dedignatus, nisi post tale judicium, quod de vita a Possidio scripta, tulit; &, ut nemo criminetur recitari acerbiùs, libet censori sua reddere verba: Possidio namque dicenti quosdam bono animo Divini Spiritus opitulatione Sanctorum Antistitum scripsisse vitas, hæc Clericus reponit pag. 622. tom. 11. in Append. ad opera Augustini: „ Sic
„ ipse, & alii bono animo ut puta-
„ bant, scripserunt vitas Superiorum
„ Antistitum; qui eorum animus cre-
„ do, ex officii sui cognitione natus
„ erat, ac proinde Deo quoque officii
„ exactori, vel hoc sensu tribuendus.
„ Sed afflati a Deo sanè non fuerunt,
„ ut ferè dissimularent vitia, vel de-
„ licta eorum, quorum vitas scribebant,
„ virtutésque ac dotes modicas præter
„ omnem modum extollerent, & ve-
„ niâ indigentia, quasi miranda de-
„ scriberent. Ejusmodi enim incommo-
„ dis, ne alia objiciam, fit; non tam ut
„ incauti lectores eorum virtutes imi-
„ tentur, & vera placita sequantur;
„ quàm ut vitia dissimulata quasi licita

„ & honesta, errorésque quasi verita-
„ tem defendendos sibi proponant;
„ neque enim putant, si fugienda hæc
„ essent, dissimulaturos fuisse harum
„ vitarum scriptores; nec se peccare
„ posse credunt, dum viros usque
„ adeò laudatos imitantur. Ei in-
„ commodo obviam ire voluimus in
„ Animadversionibus nostris, ubi ut
„ laudanda libenter & candidè lauda-
„ vimus, sic nec vituperanda dissimu-
„ lavimus; &c.

VI. Si vera sunt, quæ Possidio ab homine objiciuntur, jam unius aut alterius criminis necesse est, ut Sanctus Vir insimuletur. Nam si in Augustini exponendis gestis datum ab eo aliquid est simultati & gratiæ, odio vel amori, quibus affectibus plerúmque veritas surripi solet, jam infidelitatis est culpandus, quo nihil acerbiùs excogitari potest: Aut si videns tacuit dissimulavitque vitia, imprudens certè ab omnibus habebitur; quia non eâ severitate ac judicii acrimoniâ scripsit, ut incauti & improvidi malefacta non sequerentur. At hæc gratis homini, ex sectæ instituto Patrum inimico, concedi non debent; quinimmò gravissimâ probatione indigebant maledicta illa, quibus arguit viros inter morta-

mortales ceteros adeò claros, ut priùs alii defeſſi ſint laudando, quàm illi ſcribendo aut faciendo, quæ gloria digna eſſent. Nec animadverſiones illæ quidquam effecere, vel efficiunt; quando nec modus, nec modeſtia ulla in tam multis reperta eſt a Cl. Doctiſſimoque Viro Ludovico Muratorio in opere de Ingeniorum moderatione; cujus lectione cenſor ſine dubio ſi quam male dicendo voluptatem cæperat, eam male audiendo amiſit. Neque in animo nunc eſt virulentæ ac injuſtæ cenſuræ graviſſimorum hominum opponere teſtimonia; unde eruere fas ſit, meritas laudes tantùm à Poſſidio tribui Auguſtino, ac præter omnem juris ordinem optimi Scriptoris Fidem in dubium vocari; quia facilè ex ſenſu illius omnia in pace & ſilentio quum veterum, tum recentiorum riderentur teſtimonia, quaſi ex nimio affectu, non veritati, ſed gratiæ, utilitatique conceſſa. Imò nec licet Eraſmum opponere: Quoniam etſi ubique hujus extollat *ingenium*, & quemadmodum ipſe loquitur, *prudentiam*, *æquitatem*, ac inter hominis cultores libenter ſuum profiteatur nomen; ſi quis tamen integram Eraſmi Epiſtolam ad Alfonſum Fonſecam Archiepiſcopum Toletanum, totius Hiſpaniæ Primatem opponat, in qua

Præfixa eſt hæc Epiſ. Auguſt. Opp. edit. Eraſ.

qua a Possidio mutuatus universa, mirificè in Augustini laudes totus effunditur: Hâc cavillatione se ab illa expediret, non aliâ certè, qua laudes Hieronymo ab eodem Erasmo tributas flocci facit: „ Quia, inquit quæst. 1. „ inter Hieronym. num. 2., vitium est „ solenne eorum, qui antiquos Scriptores edere aggrediuntur, mirum „ in modum Scriptores, quos edunt „ extollere; ut eâdem operâ persuadeant lectori se utilissimum laborem „ subiisse, ac esse, cur sibi propterea „ gratiæ agantur.

VII. Propter jecur criticum hæc quum dicere illi non fuerit nefas; quid superest, nisi pium monere lectorem, ut in auditâ causâ propter hominis censuras non culpet præcipiti judicio Ecclesiæ Patres; satisque propterea erit hîc pro Possidio advertere: Augustini gesta ab eo fuisse exposita sub invocatione Divinæ Majestatis, cui mentiri nec pium est, nec tutum; & eâ tempestate, quando plurimi adhuc testes in corpore erant. *Sed si adeò infideles essent*, (decet & libet Sulpicii uti verbis, dum insequitur dial. 3. cap. 5. Martini virtutum obtrectatores & æmulos) *profiteor, quia nec his essent credituri.* „ Miror autem quemquam, qui „ vel

Possid. in præfat. ad Vit.

„ vel tenuem ſenſum Religionis habeat, tantùm piaculi velle committere, ut putet quemquam de Auguſtino poſſe mentiri. Faceſſat à quoquam, qui ſub Deo vivit, iſta ſuſpicio. Neque enim Auguſtinus hoc indiget, ut mendaciis adſeratur. „ *Sev. Sulp. eod. loc. de Martino loquens.* Quæ cum ita ſe habeant, jam quæ in ore Galli, Martini virtutes exponentis, Sulpicius poſuit, in Poſſidii ore illas Auguſtini illuſtrante, locari debent: *Totius ſermonis fidem*, inquit, *apud te, Chriſte depromimus, nos non alia dixiſſe, quàm quæ aut ipſi vidimus, aut quæ manifeſtis Auctoribus, vel plerúmque ipſo referente cognovimus.* *Eod. loc.* Extrinſecus iſta præfationi huic inſerere, non ſine meo dolore, Clerici incredulitas coëgit; licet dignum eſſet, ac illis etiam utile, qui perperàm critico utüntur acumine, ut a talium librorum lectione abſtinerent: Nam ut in laud. Ep. rectè ait Eraſmus: *Hæretici, qui crimen Auguſtino intendere ſunt auſi, nihil aliud quàm impudentiæ lucrifecerunt opinionem.* *In Ep. ſup. laud. ad. Archiep. Toletan.*

VIII. Quo autem anno a Poſſidio Optimi Patris & Magiſtri Vita ſit edita, certè definiri non poteſt; hinc ſuſpicor fuiſſe ſcriptam poſt annum 432. & ante ann. 439. Nam quum in opus incumbebat, jam Hippo-regius in cineres dila-

dilapſus erat; mortuusque, ut colligitur ex cap. 28. Bonifacius Comes, cujus ſanè mors accidit poſt ann. 432. Ante verò an. 439. quo capta a Vandalis Carthago fuit, teſte Proſpero in Chronico, compoſitam fuiſſe vitam, eruitur ex iisquæ de Carthagine & Cirta dicit, nempe exciſas non eſſe, *ſed divino & humano fultas præſidio*, etiam tunc ſtare ſignificat. Hæc de Poſſidio in excurſu ſint dicta, aliàs ſi Deo placuerit, univerſa, quæ ad eum pertinent, in alio Opere erunt accuratiùs copioſiúsque exponenda.

VETE-

VETERUM TESTIMONIA DE
SANCTO POSSIDIO
ET VITA AUGUSTINI AB EO SCRIPTA.

S. AUGUSTINUS

In Epist. CI. *Noviss. Edit. aliàs* CXXXI. *ad Memorium num. 1.*

Nimis autem ingratum ac ferreum fuit, ut te, qui nos sic amas, hîc sanctus Frater, & collega noster Possidius, in quo nostram non parvam præsentiam reperies, vel non disceret, vel sine litteris nostris disceret. Est enim per nostrum Ministerium non litteris illis, quas variarum servi libidinum, liberales vocant, sed Dominico pane nutritus, quantus ei potuit per nostras angustias dispensari.

S. PRO-

S. PROSPER

In Chronico integro ad AEtii 11. & Sigisvulti conſ. qui incidit in ann. Chriſti 437.

In Africa Genſericus Rex Vandalorum intra habitationis ſuæ limites volens catholicam fidem Arianâ impietate ſubvertere, quosdam noſtrorum Epiſcoporum, quorum POSSIDIUS, & Novatus, & Severianus clariores erant, eatenus perſecutus eſt, ut eos privatos jure Baſilicarum ſuarum, etiam civitatibus pelleret, quum ipſorum conſtantia nullis ſuperbiſſimi Regis terrorribus cederet.

S. ISIDORUS

Hiſpalenſis de ſcrip. Eccleſ. cap. 8.

Poſſidius Africanæ Provinciæ Epiſcopus, ſtilo proſecutus eſt Vitam S. Auguſtini. Cui etiam operi ſubjecit Indiculum Scriptorum ejus; enumerans quanta idem Beatiſſimns Doctor ſcripſerit: Ubi plusquàm quadrigentorum librorum volumina ſupputantur. Homiliarum verò & epiſtolarum quæſtionumque infinitus eſt numerus: Ut penè vix poſſit quisquam articulo ſuo aliena tanta ſcribere, quanta ille proprio labore compoſuit.

HONO-

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS PRESBYTER

De Luminaribus Ecclesiæ, sive de Scriptoribus Ecclesiasticis in Libello tertio ex Isidoro sublecto. Cap. 8.

Possidonius, Africæ Provinciæ Episcopus, stilo prosecutus est vitam S. Augustini; in qua plusquam quadringentos libros ejus enumeraret Isidorus cap. 8.

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS MONACHUS

De scriptoribus Ecclesiasticis. Cap. 16.

Possidius Calamensis Episcopus scripsit vitam Augustini Hipponensis Episcopi.

B. JORDANUS

De Saxonia Eremita Augustinianus, Vicarius Generalis totius Ordinis in Germania in Prologo Vitæ S. Augustini, quæ extat in supplem. PP. Edit. Lugd.

Divi Patris ac Doctoris eximii Hipponensis Episcopi ortum, percursumque, ac finem vitæ, auxiliante eo, qui laudatur in sanctis suis fideliter descripturus, nihil huic operi inserendum censui, quod non in suis propriis dictis, aut aliorum authenticis scripturis con-

tinetur. Sequutus præcipuè veſtigium illius venerandi Viri, ſancti Poſſidonii Calamenſis Epiſcopi, ejusdem ſancti Patris diſcipuli, & in ſuo Monaſterio olim CANONICI, qui ejus geſta, prout viderat, & per experientiam didicit diffusè conſcripſit: ad ea maximè ſe referens tempora, quibus ipſe cum eo fuerat præſentialiter converſatus. Neque enim tantus Doctor veritatis honorari ſe gratum duceret laudibus falſitatis. Ipſe etenim dicit in primo Libro de Trinitate: Malim, inquit, me reprehendi a reprehenſore falſitatis, quàm ab ejus laudatore laudari.

Lib. 1. de Trin. cap. 3. num. 6.

Floruit Beatus Jordanus circ. an. 1370.

S. PIUS V. P. MAX.

In Bulla, qua Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis conceſſit celebrationem SS. Ordinis ſub ritu duplici, loquens de Feſtivitate S. P. Auguſtini, hæc de Poſſidio habet.

Mediæ tres (*lectiones in officio*) partim de vita ejusdem Patris collectâ e dictis ejusdem, in libris præcipuè Confeſſionum, nec non Poſſidii, ejus contemporanei, ac ſocii, qui, quum per annos quadraginta cum eo familiariſſimè vixiſſet, vitam etiam ejus veriori, & integriori modo deſcripſit, partim de ſermonibus ejusdem Patris, de communi vita Clericorum.

SAN-

SANCTI AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI VITA

AUCTORE

(*a*) S. POSSIDIO CALAMENSI EPISCOPO, IPSIUS DISCIPULO,

*Qui cum eodem annis ferme quadraginta * familiariter vixit.* *Cap. 31. Vitæ.

PRÆFATIO.

Inspirante rerum omnium factore, & gubernatore Deo, mei memor propositi, quo per gratiam Salvatoris omnipotenti, ac divinæ per fidem Trinitati servire decrevi, & antea

(*a*) Honorius Presbyter Augustodunensis, & nonnulli post eum Possidonium appellavere; reluctantibus: Augustino, Prospero, Isidoro Hispalensi, Codicibusque omnibus MSS. qui constanter ferunt Possidium, ut prætercam Sigebertum, aliosque recentiores. Quod observare oportet, quum Possidii ævo alter præter ipsum in Africa floruerit Episcopus, cui Possidonii nomen fuit; ut constat ex Ep. Syno-

tea in vita laicorum, & nunc in officio Episcoporum, studens ex qualicunque accepto ingenio & sermone (*b*) ædificationi prodesse sanctæ, ac veræ Christi Domini catholicæ Ecclesiæ, de vita ac moribus prædestinati, & suo tempore (*c*) præsentati Sacerdotis, optimi Augustini, quæ in eodem vidi, ab eoque audivi, minimè reticere debeo. Id enim etiam ante nos factitatum fuisse a Religiosissimis sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ viris legimus, & comperimus, qui divino afflati Spiritu, sermone proprio atque stilo, & auribus & oculis scire volentium, dicendo & scribendo similia Studiosorum notitiæ intulerunt,

Synodica Patrum Milev. Conc. ad Innocentium Papam data an. 416. hujusque rescripto: Nam Possidius noster primum tenet locum, quum Possidonius in 40. vel, ut in aliis exemplaribus 46. compareat. Fuit Possidius in Numidia Calamæ Episcopus, successitque ann. Chr. 397. Megalio, qui Augustinum in Episcopum ordinaverat. Calama autem celebre erat Numidiæ oppidum; unde Seculo nono excunte in notitiâ editâ a Goario, Carolo a S. Paulo, & Beveregio, imperante Leone sapiente conscriptâ, inter Provinciæ illius oppida, prima censetur. Sancti viri Festum ab universo Canonicorum Regularium ordine peragitur die 17. Maji post S. Pii V. ævum.

(*b*) Veteres Codices, Germanensis, Fossatenensis, & Cistercienfis, *ædificationis*.

(*c*) Cod. Reginæ *præelecti*.

lerunt, quales, quantique viri (d) ex communi Domini gratiâ in rebus humanis, & vivere & usque in finem obitus perſeverare meruerunt. Idcircò ipſe quoque diſpenſatorum omnium minimus, fide non fictâ, qua Domino dominantium, omnibusque bonis ſerviendum & placendum eſt fidelibus, de prædicti venerabilis viri & exortu, & procurſu, & (e) debito fine, quæ per eum didici, & expertus ſum, quàm plurimis annis ejus inhærens charitati, ut Dominus donaverit, explicandum ſuſcepi. Verùm ſummam quæſo Majeſtatem, quò munus hujusmodi a me arreptum ita geram, & peragam, ut nec Patris luminum offendam veritatem, nec bonorum Eccleſiæ filiorum ulla ex parte fraudare videar charitatem. Nec attingam ea omnia inſinuare, quæ idem beatiſſimus Auguſtinus in ſuis

(d) Vedaſtinus Cod. & unus ex duobus Floriacenſibus Mſſ. *per communis Domini gratiam.* Cod. Reg. *ex communi Dominica gratia.*

(e) Reſpexit Poſſidius ad hæc Auguſtini verba lib. XI. de Civit. Dei cap. I. *Mei non immemor debiti, de duarum Civitatum, terrenæ ſcilicet & Cœleſtis, quas in hoc interim ſeculo perplexas quodammodo diximus, invicemque permixtas*, exortu & curſu, & debitis finibus, *quantum valuero diſputare, ejus ipſius Domini & Regis noſtri ubique opitulatione fretus aggrediar.*

Confeſſionum lib. quo cur Auguſtin. ſcripſerit. 2.*Cor.* 12. *v.* 7.

Confeſſionum libris de ſemetipſo, qualis ante perceptam gratiam fuerit, qualisque jam ſumptâ viveret, deſignavit. Hoc enim facere voluit, ut ait Apoſtolus, ne de ſe quisquam hominum ſupra, quàm ſe eſſe noverat, aut de ſe auditum fuiſſet, crederet vel putaret, humilitatis ſanctæ more (*f*) utens, & jam nullum fallens, ſed laudem non ſuam, ſed ſui Domini, de propria liberatione, ac munere quærens, ex iis videlicet, quæ jam perceperat; & fraternas preces poſcens, de iis quæ accipere cupiebat. *Sacramentum* igitur *Regis* ut Angelicâ auctoritate prolatum eſt, *bonum eſt abſcondere; opera autem Domini revelare, & confiteri honorificum eſt.*

Tobiæ 12. *v.* 7.

CAPUT I.

Auguſtini ortus, converſio, & baptiſmus.

Ortus eſt ann. 354. Idib. Nov. Conſtant.

Ex Provincia ergo (g) Africana, Civitate Thagaſtenſi, de numero curialium parentibus honeſtis & Chriſtianis pro-

(*f*) Tres Mſſ. *More utique nihilo fallens* Cod. Reg. *humilitatis ſanctæ memoria utens; utque nihil fallens.* Alter Reg. Cod. *utique nihil fallens.*

(*g*) Libentiùs *Africæ*, ut Mſſ. tres Codic. Vaticani ferunt: præſertim quia quum abſolutè Africana Provincia nominatur, proconſularis

progenitus erat; alitusque, ac nutritus eorum curâ, & diligentiâ, (*h*) impensisque, secularibus litteris eruditus apprimè, omnibus videlicet disciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam & Grammaticam priùs in sua Civitate, &

Aug. VII. & Constantio Cæsare III. Coss.

laris intelligitur; ut in Conc. Carthag. de iteratione baptismi sub Cypriano habito: *Quum in unum*, inquit, *Carthagini convenissent Episcopi plurimi ex Provincia Africa* (seu Africana ad designandam proconsularem) *Numidia, Mauritania.* Unde quum Augustinus non sit in Proconsulari Provincia ortus, sed in Numidia, cujus opulentum, ac nobile erat oppidum Thagaste; propterea rectius diceretur ex Provincia *Africæ* natus; acceptâ nimirum Africâ, ut olim a Pomponio Mela, Ptolomæo, antiquitusque ex Ecclesiastico more in tres dividebatur partes, nimirum in Mauritaniam, Numidiam, ac Africam strictè sumptam, quæ erat Proconsularis Provincia. At Isidori Hispalensis reverentia prohibuit, ne in textum immitteremus conjecturam nostram; quia ipse in lib. de Script. Eccl. cap. 8. vocat Possidium *Africanæ Provinciæ* Episcopum, licet in Numidia Urbs Calamensis sita esset.

(*h*) Cod. duo Vatic. *impensiùs Secularibus litteris eruditus, apprimè omnibus disciplinis imbutus.* Nam & si parentes eum impensis, quibus poterant, juverint: Ex ipso tamen S. Doct. lib. 2. cont. Acad. cap. 2. const. sumptibus Romaniani in sua Urbe primatis profecisse in litteris; hisque verbis gratum testatur animum: *Tu me adolescentulum*, inquit, *ad peregrina studia pergentem, & domo, & sumptu & quod plus est animo excepisti.*

& rhetoricam in Africæ capite, Carthagine, poſtea docuit. Conſequenti etiam tempore trans mare in urbe Roma, & apud Mediolanum, ubi tunc Imperatoris Valentiniani minoris comitatus fuerat conſtitutus. In qua urbe Epiſcopatum adminiſtrabat acceptiſſimus Sacerdos, Ambroſius. Hujus interea verbi Dei Prædicatoris frequentiſſimis in Eccleſia diſputationibus adſtans in populo, intendebat ſuſpenſus, atque affixus. Verùm aliquando Manichæorum apud Carthaginem (*i*) adoleſcens fuerat

Romam venit an. æt. ſuæ 29. vergente. Chr. 383. Mediolanumque perrexit cir. fin. an. 384.

(*i*) Qua arte a Manichæis fuerit adoleſcenti Auguſtino impoſitum, præſtat ab eodem audire. Quum enim tam ſtupida illiterataque eſſet Manichæorum factio, qualis reputatur a multis, quinimò intimis naturæ latebris innixa, & cum ſubtiliſſimæ rationis acumine confœderata; quoniam Manes, ſectæ conditor, ut conſtat ex Archelao, in Meſopotamia Epiſcopo, qui bis cum illo publici certaminis aleam ſubiit, doctiſſimus fuit: Sic enim de illo loquitur cap. 53. diſputat. *Effectus puer ille annorum propè ſexaginta, eruditus ſecundùm doctrinam quæ in locis illis eſt, & penè dixerim ſuper omnem hominem*; propterea magno Philoſophiæ fuco, lenocinioque Sectæ emiſſarii utebantur in capiendis hominibus. Unde adoleſcentibus ſpondebant, ſe merâ & ſimplici ratione in ſacra veritatis penetralia eos introducturos, omnique errore liberaturos. *Quis*, inquit Auguſtinus in lib. de util. cred. ad Honoratum, amici, ac ſuam plangens deceptio-

fuerat errore ſeductus: & ideo ceteris ſuſpenſior aderat, ne quid vel pro ipſa, vel contra ipſam hæreſim diceretur. Et (*k*) prævenit Dei liberatoris clementia ſui Sacerdotis cor pertractantis, ut contra illum errorem incidentes Legis ſolverentur quæſtiones; atque ita edoctus, ſenſim atque paulatim hæreſis illa miſeratione divinâ ejus ex animo pulſa eſt: protinusque ipſe in fide Catholica

B 5 con-

ceptionem, *his pollicitationibus non illiceretur, præſertim adoleſcentis animus cupidus veri.* His addere liceat confictos titulos, prodigioſam ciborum abſtinentiam, ſimulationem paupertatis, falſam continentiæ ſpeciem, aliaque præſcripta immania, ac ſupra modum turgida; quibus fumos ac præſtigias quasdam mentibus hominum offundebant, ut poſſent vel electis imponere. Sic Hiſtriones rapuere Auguſtinum, & per eum, ſui cordis Fratrem, Alypium. At aliter atque aliter: ipſum; quia per omnes rerum ſpecies veritatem, velut in ſomnis adamatam perſequebatur: poſteriorem; *Quia dilexit in eis oſtentationem continentiæ, quam veram & germanam putabat. Erat autem illa vecors & ſeductoria, pretioſas animas captans, nondùm virtutis altitudinem ſcientes tangere, & ſuperficie decipi faciles, ſed tamen adumbratæ ſimulatæque virtutis*, ut loquitur Auguſtinus lib. 6. Confeſſ. cap. 7. Utriusque affectus extitit pius, ac error ſimplex, & humanus, error tamen; licet illorum non fuerint vitiis inquinati, quia nunquam paſſi ſunt inter Electos computari, ſatisque fuit in Auditorum grege permanere.

(*k*) Plures Mſſ. *& provenit*.

confirmatus, proficiendi in religione eidem amoris ardor innatus est, quò propinquantibus diebus sanctis Paschæ salutis aquam perciperet. Et factum est divinâ præstante opitulatione, ut per illum talem ac tantum antistitem Ambrosium, & doctrinam salutarem Ecclesiæ Catholicæ, & divina perciperet Sacramenta (*l*).

Baptizatur ab eodem anno suæ ætat. 33. Christi verò 387. Apr. 24. die.

CAPUT II.

Relictis omnibus suscipit propositum serviendi Deo, jam annis major tringinta.

Moxque ex intimis cordis medullis conversus ad Deum (*m*) spem omnem, quam habebat in Seculo, dereliquit;

(*l*) Cod. Reg. 1025. *Et Divinum perciperet Sacramentum.*

(*m*) Singularis iste contemptus seculi erat proprius Martyrum τεθνηξομένων *statim moriturorum.* Hinc S. Perpetua, ubi desuper de imminente passione certior est facta: *Retuli* inquit Num. 4. Actor. apud Theod. Ruinart pag. 95. *statim Fratri meo, & intelleximus passionem esse futuram: & cœpimus nullam jam spem in seculo habere;* quia ut Celerinus Confessor apud sanctum Cyprianum in Epist. 21. dicit: *Hoc solet contingere servis Dei, maximè eis, qui in confessione Christi sunt constituti. Scio enim quoniam unusquisque jam, quæ sunt seculi, non attendit, quoniam coronam Cœlestem sperat.*

liquit; jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honores ſeculi quærens: Sed (*n*) Deo cum ſuis ſervire ſtatuit, in illo, & ex illo puſillo grege eſſe ſtudens, quem Dominus alloquitur, dicens: *Nolite timere puſillus grex; quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam: facite vobis ſacculos non vetera-* Luc. 12. v. 32.

ſperat. Et Lucifer Calaritanus lib. quòd moriendum pro filio Dei: *Novimus hanc eſſe nobis traditam divinitus diſciplinam, ut ſine ullo terrore malitiæ vim tueamur tanti nominis: quippe quos jam pridem æternæ memoriæ cupiditas abſtraxerit a deſiderio iſtius lucis; quosque ad calcanda omnia terrena, Chriſti ſocietas ſegregavit.* Hic peculiaris Mundi contemptus, qualis erat in illis etiam, qui aut perfectam ordiebantur vitam, aut ſolitariam amplecti cupiebant, & ſtatuebant, ſatis erat, ut de ipſis diceretur *ſpem omnem, quam habebant in ſeculo reliquiſſe*, ut revera Poſſidius loquitur de Auguſtino Eccleſiæ Sacramentis ab Ambroſio initiato. Et de ſe S. Doct. ipſe profitetur Serm. 49. de diverſis: *Quærebam ubi conſtituerem Monaſterium; ſpem quippe omnem ſeculi reliqueram.* Decerpta eſt hæc obſervatio ex Doctiſſ. Viro Luca Holſtenio in not. ad loc. S. Perpetuæ; cujus auctoritate, editionumque anteriorum reſtituimus Vitæ voces illas *ad Deum converſus*, quæ in Edit. Pariſ. Noviſſ. non comparent.

(*n*) In Editis *ſoli Deo.* Abeſt *ſoli* in Mſſ. Cod. unus Vat. *Sed Deo ſervire conſtituens.* Alter Vat. *Sed Deum, cui ſervus eſſe conſtituit.*

teraſcentes, *theſaurum non deficientem in Cœlis*, & cetera. Et illud quod dicit iterum Dominus, idem Vir ſanctus facere cupiens, *ſi vis eſſe perfectus, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlis, & veni ſequere me.* Et ſuper fidei fundamentum (*o*) ædificare deſiderans, non ligna, fœnum, & ſtipulam; ſed aurum, argentum, & lapides pretioſos. Et erat tunc annis major triginta, ſola ſuperſtite matre (*p*), ſibique adhærente, & de ſuſcepto ejus propoſito ſerviendi Deo ampliùs, quàm de carnis nepotibus exultante. Nam ejus Pater antea defunctus erat. Renuntiavit Scholaſticis, quos rethoricam docebat, ut ſibi magiſtrum alium providerent, eo quòd ſervire Deo ipſe decreviſſet.

Matt. 19. *v.* 21.

CAPUT III.

Seceſſus Auguſtini.

In Africam venit poſtMaxi-

Ac placuit ei perceptâ (*q*) gratiâ cum aliis civibus, & amicis ſuis Deo pariter ſervientibus ad Africam, & pro-

(*o*) Cod. Reg. *& ſuper fidei fundamenta.* Alt. verò Reg. *deſiderabat.*

(*p*) In quibusdam Cod. additur matris nomen *Monica*, & paullò poſt patris alterum nempe *Patricius.*

(*q*) Editi addunt hîc *Baptiſmi.* Sed eam vocem non habent Mſſ.

propriam domum agrosque remeare. Ad quos veniens, & in quibus constitutus, ferme triennio, & a se jam alienatis (*r*) curis secularibus, cum iis, qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus, in Lege Domini meditans die ac nocte. Et de iis, quæ sibi Deus cogitanti, atque oranti intellecta revalabat; & præsentes, & absentes sermonibus, ac libris docebat. Contigit fortè eodem tempore, ut quidam ex iis, quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem-regium constitutus, bene Christianus, Deumque timens, compertâ ejus bonâ famâ, atque doctrinâ, desideraret, atque optaret eum videre, promittens se posse Mundi hujus omnes contemnere cupiditates, atque illecebras, si aliquando ex ejus ore Dei verbum audire meruisset. Quod quum ad se fideli fuisset relatione delatum, liberare (*s*) animam cupiens ab hujus vitæ periculis, morteque æternâ, ad memoratam ultro, atque confestim venit civitatem, & hominem visum alloquutus

mi necem mens. Augusti vel Sept. anno 388. quum aliquantisper Romæ moratus esset.

(*r*) Omnes Mss. quos viderunt PP. S. Mauri omittunt, *curis Secularibus*, quæ tamen voces in duobus ex nostris Codicibus comparent. Cod. Reg. 1025. *& a se jam alienatis pristinis vitiis.* Duo Cod. Floriacensis unus, & Vaticanus alter pro *alienatis*; præferunt *alienatus*.

(*s*) Cod. duo Vat. *liberari animam.*

tus frequentiùs, atque exhortatus eſt, quantùm Deus donabat, ut quod Deo voverat, redderet. *Ac ſe ille de die in diem facturum pollicebatur, nec tamen in ejus tunc hoc implevit præſentia: ſed (*t*) vacare utique, & inane eſſe non potuit, quod per tale vas mundum, & in honore, utile Domino, & ad omne opus bonum paratum, in omni loco divina gerebat providentia.

* Edit. Lug. *Hæc.*

2. *ad Timoth.* 2. *v.* 21.

CAPUT IV.

Capitur ad Presbyterii gradum.

Eodem itaque tempore in Eccleſia Hipponenſi Catholica Valerius ſanctus Epiſcopatum gerebat. Qui quum, flagitante (*u*) Eccleſiaſticâ neceſſitate, de providendo & ordinando Presbytero * civitati plebem Dei alloqueretur, & exhortaretur; jam ſcientes Catholici ſancti Auguſtini propoſitum & doctrinam, manu injecta, (quoniam, & idem in Populo ſecurus, & ignarus quid futurum eſſet, adſtabat. Solebat autem Laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantùm Eccleſiis, quæ non haberent Epiſcopos, ſuam abſtinere præſentiam:) eum ergo tenuerunt, &, ut in talibus conſuetum

*Ed. Lug. *Civitatis.*

(*t*) Editi & Cod. unus Reg. *vacuum.*
(*u*) Cod. Reg. 541. *flagitante Eccleſiæ neceſſitate.*

tum (x) eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno conſenſu, & deſiderio fieri perficique petentibus, magnoque ſtudio, & clamore flagitantibus,

(x) Cod. Vat. 1190. *conſuetudo eſt.* Invaluerat mos apud Eccleſias quasdam, ut inſtante neceſſitate novi Presbyteri eligendi, Populus coïtione factâ quempiam virtutum famâ probatum per vim apprehenderet, & Epiſcopo offerret ordinandum. Sic Paulinus olim ad Presbyteratum raptus eſt, ut refert in Epiſt. ad Alypium, quæ eſt 24. inter Auguſtinianas: *Nam ego*, inquit, *& ſi a Delphino Burdigale baptizatus, a Lampio apud Barcinonam in Hiſpania per vim ſubitò inflammatæ plebis ordinatus ſum &c.* Auguſtinus, Epiſt. 126. ad Albinam, ſcribit: Plebem Hipponenſem vi rapuiſſe Pinianum hoſpitem & peregrinum, ac ſibi obtuliſſe ut ordinaretur; cui tamen Pinianus ſignificavit: *Se velle Populo jurare, quod, ſi eſſet ordinatus invitus, ex Africa diſcederet.* Paulinianus S. Hieronymi Frater a S. Epiphanio vi apprehenſus, *ac ore obturato*, ne reclamaret, ordinatus fuit, ex Ep. 60. apud Hieronymum. Cum ergo Poſſidius ait. *Eum ergo tenuerunt, &, ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt,* ſenſus eſt: Invitum, ac per Populi tumultum evectum fuiſſe ad Clericatum. Quas per vim ordinationes Romana Eccleſia, ac Majorianus Imperator in Novella ſecunda improbavit. Sanè imprudenter eſſe prohibitas nemo inficias ierit, quum multa poſſent gignere mala, teſte S. Leone Epiſt. 1. noviſſ. Edit. ad Epiſcopos Mauritaniæ. Unde refert Theodoretus Hiſt. Sac. lib. pag. 20. cap. 13. de Macedonio quodam

tibus, ubertim eo flente: nonnullis quidem lachrymas ejus, ut nobis ipse retulit, tunc superbè interpretantibus, & tanquam eum consolantibus, ac dicentibus, quia & locus Presbyterii, licèt ipse majore dignus esset, appropinquaret tamen Episcopatui; quum ille homo Dei, ut nobis retulit, majori consideratione intelligeret, & gemeret, quàm multa, & magna suæ vitæ pericula de regimine, & gubernatione Ecclesiæ impendere jam, ac provenire (z) spectaret, atque ideo fleret. Et eorum, ut voluerunt, completum est desiderium.

CAPUT V.

Monasterium instituit.

Ordinat. est Presb. an. Chr. 391.

Factus ergo Presbyter Monasterium intra Ecclesiam mox instituit: & cum Dei servis vivere cœpit secundùm modum,

dam Monacho, & si non per vim, callidâ tamen, versutâque dissimulatione ad Altare accersito, ac nihil de ordinatione suspicante, quum celebris ille Flavianus Antiochenus Antistes sacrum celebrans, manus ad ordinationem imposuisset, usque adeò re comperta succensuit, ut nisi excandescentem Senem Clerici prohibuissent, procul dubio scipione, quo Pontifex sustentabatur, graviter percussisset. Possidii locus sic etiam expositus est a docto viro Card. de Noris.

(z) Mss. quidam *speraret*.

modum, & regulam ſub (*a*) ſanctis Apoſtolis conſtitutam; maximè: ut nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur unicuique ſicut opus erat: quod jam ipſe (*b*) prior feçerat, dum de transmarinis ad ſua remeaſſet. Sanctus verò Valerius ordinator ejus, ut erat vir pius, & Deum timens, exultabat, & Deo gratias agebat, ſuas exauditas a Domino fuiſſe preces, quas ſe frequentiſſimè fudiſſe narrabat; ut ſibi divinitùs homo concederetur talis, qui poſſet verbo Dei, & doctrinâ ſalubri Eccleſiam Domini ædificare, cui rei ſe homo naturâ Græcus, minusque Latinâ linguâ, & litteris inſtructus, minùs utilem pervidebat. Et eidem Presbytero poteſtatem (*c*) coram ſe in Eccleſia Evangelium prædicandi,

(*a*) Cod. Vat. 118. *ab Apoſtolis conſtitutam.*

(*b*) Cod. Vat. 1190. *priùs fecerat.*

(*c*) Diu obtinuerat in Africæ Eccleſiis uſus, ne Presbyteri, *præſente*, ut ait Hieronymus ad Nepotianum, *Epiſcopo* loquerentur. Ex quibus Poſſidii & Hieronymi verbis abſolutè non colligitur interdictum fuiſſe Presbyteris in Africa concionari; ſed coram Epiſcopo; quia ut Cœleſtinus Papa inquit in Ep. ad Galliarum Epiſcopos num. 2. *Non ſibi debet quisquam in injuriam Doctorum vindicare doctrinam* & num. 3. Epiſcopos increpans: *Quid in Eccleſiis vos agitis, ſi illi ſummam teneant prædicandi.*

candi, ac frequentissimè tractandi; contra usum quidem, & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum: Unde etiam ei nonnulli Episcopi detrahebant. Sed ille

candi. Unde Augustinus & Alypius Ep. 77. Aurelio gratulantur, quòd *ipso præsente* jam liceret Presbyteris Dei Verbum annuntiare: Ita ut *Dominum per eos loquentem non dedignaretur audire.* Et sanè quod Presbyteris docere alios conveniat, abunde testatur his verbis Cœlestinus nuper laud. licet durè quosdam Massilienses Presbyteros in Epist. arguat: *Nam & hos ipsos*, inquit, *a Deo nostro positos novimus ad docendum; quum sit, dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus:* Quodque ante Augustinum in Africa Presbyteri populum alloquerentur, vix dubitari potest. Nam Optatus Milevitanus loquens de Macario a Constante Imperatore misso circa an. Chr. 348. ut unitas in Africa restitueretur, ait, Populum fuisse alloquutum, sed non more Episcopi: *Restat*, sic loquitur lib. 7. de Schis. Donatist. num. 7. *Ut dicatis eum cum Populo communicasse: & locutum eum esse aliquid in Populo constat, sed insinuandæ alicujus rei causa, non tamen tractandi, quod est Episcoporum; ille enim nudè locutus est, si quid loqui potuit. Contra Episcopalis tractatus probatur ab omnibus Sanctitate vestitus, salutatione scilicet geminata. Non enim incipit Episcopus aliquid ad Populum dicere, nisi primò in nomine Dei Populum salutaverit. Similes sunt exitus initiis, omnis tractatus in Ecclesia a nomine Dei incipitur, & ejusdem Dei nomine terminatur. Quis vestrum audet dicere Episcoporum more, Macarium populum salutare?*

ille vir venerabilis, ac providus in Orientalibus Ecclesiis id ex more fieri sciens (*d*) & certus, & utilitati Ecclesiæ consulens, obtrectantium non curabat linguas; dummodo factitaretur a Presbytero, quod a se Episcopo impleri minimè posse cernebat. Unde accensa, & ardens elevata super candelabrum lucerna, omnibus qui in domo erant lucebat. Et postea currente, & volante hujusmodi famâ, bono præcedente exemplo, acceptâ ab Episcopis potestate, Presbyteri nonnulli coram Episcopis, Populis tractare cœperunt verbum Dei.

CAPUT VI.

Conflictus Augustini cum Fortunato Manichæo.

Sane in illa tunc Hipponensi urbe Manichæorum pestilentia quàm plurimos (*e*) vel cives vel peregrinos infecerat, & penetraverat, seducente, & decipiente ejusdem hæresis quodam Presbytero: Nomine Fortunato, ibidem conversante, atque manente. Interea

(*d*) Ex Mss. addiderunt PP. S. Mauri *& certus.*

(*e*) Sic Mss. Editi verò, *quàm plurimos cives, & peregrinos infecerat.*

terea Hipponenſes cives (*f*), & peregrini Chriſtiani tam Catholici, quàm etiam Donatiſtæ adeunt (g) Presbyterum, ac depoſcunt, ut illum hominem, Manichæorum Presbyterum, quem doctum credebant, videret, & cum eodem de Lege tractaret. Quod idem,
1. Pet. 3. v. 15. ad Titum 1. v. 9. ut ſcriptum eſt: *Paratus ad reſponſionem omni poſcenti ſe rationem de fide, & ſpe quæ in Deum eſt, potensque exhortari in doctrina ſana, & contradicentes redarguere*, minimè renuit. Sed utrum etiam ille hoc fieri vellet, ſciſcitatus eſt. At illi confeſtim ad ipſum Fortunatum id detulerunt, petentes, & exhortantes, ac flagitantes, quòd id minimè recuſaret. Sanè quoniam idem Fortunatus jam apud Carthaginem ſanctum noverat Auguſtinum adhuc in eodem ſecum errore conſtitutum; cum eodem congredi pavitabat. Verumtamen ſuorum maximè inſtantiâ coactus, ac verecundatus, promiſit in cominus ſe eſſe venturum, certamenque diſputandi ſubi-
Habita eſt diſ. 5. Kal. turum. Unde condicto die, & loco convenerunt in unum, concurrentibus quàm

(*f*) Cod. Vatic. duo, *cives vel peregrini Chriſtiani*. Nihil in textu immutavimus, Pariſ. ſequuti editionem, quamvis non abſurdè legi poſſit, ut hi duo Cod. ferunt, favente loco paullò ante.

(g) Hîc in editis additum nomen Auguſtini: Sed abeſt a Mſſ.

quàm plurimis Studiosis, turbisque curiosis, & apertis (*h*) notariorum tabulis, disputatio cœpta primo, & secundo finita est die. In qua ille (*i*) Manichæus

Sep. Arcad. Aug. bis & Ruf. Coss. in Balneis Sossii an. 392.

(*h*) In Mss. *Notarii.*

(*i*) Quod infausto huic Manichæorum præceptori, Hippone, Augustini prudentiâ & doctrinâ evenit, eadem accidere in sectæ exordio Maneti (falsitatis diabolicæ Ministro, ac superstitionis obscenæ conditori, qui quum Cubricus appellaretur, Manis nomen assumpsit, furoris videlicet nomen, quâdam sibi providentiâ adsciscens) Archelai in Mesopotamia Episcopi solertiâ & industriâ; ut liquet ex actis disputationis, quæ integra a Clariss. viro Zaccagna prodierunt. Delectis namque judicibus quatuor gentilibus, ut minimè suspectis Maneti, post primam & secundam concertationem habitam cum Archelao, illorum sententiâ nefariæ superstitionis pronuntiatus est auctor. Unde turpi affectus confusione, præcipiti se fugæ commisit, ac a Populi multitudine lapidum ictibus insectatus; ita iratæ multitudinis effugit manus, ut in illas Persarum veniret, a quibus miserè iteremptus, dignissimas impietatis suæ persolvit pœnas. Quo autem tempore Manes damnandus proscribendusque innotuerit, splendidè eleganterque exponit S. Leo Serm. 74. II. de Pentec. cap. II. „ *Ut magnum quemdam*, inquit, „ *atque sublimem viderentur sequi authorem, in* „ *magistro suo* MANE *apparuisse Spiritum* „ *sanctum credidere, promissumque a Domino* „ *Paracletum non prius venisse, quam hic infe-* „ *licium deceptor oriretur, in quo ita Spiritus* „ *sanctus manserit, ut non aliud fuerit ipse,* „ *quàm*

chæus præceptor, ut geſtorum continet fides, nec Catholicam aſſertionem potuit vacuare, nec Manichæorum Sectam veritate ſubnixam valuit comprobare: Sed reſponſione deficiens (*k*) ultimâ, collaturum ſe cum ſuis majoribus ea, quæ refellere non potuit, proſequutus eſt; & ſi ſibi fortè de his ſatis minimè feciſſent, ſuæ animæ conſulturum: atque ita ab omnibus apud quos magnus & doctus videbatur, nihil valuiſſe in ſuæ

Vid. lib. cont. Fortunat. n. 37. tom. 8. noviſſ. edit.

„ *quàm Spiritus, qui per Miniſterium corporeæ* „ *vocis & linguæ, diſcipulos ſuos in omnem in-* „ *duceret veritatem, & nunquam cognita præ-* „ *teritorum ſecreta ſeculorum reſeraret. Quod* „ *quàm falſum quamque ſit vanum, ipſa Evan-* „ *gelicæ prædicationis declarat authoritas,* „ MANES *ergo miniſter falſitatis diabolicæ &* „ *conditor ſuperſtitionis obſcœnæ, eo tempore* „ *damnandus innotuit,* quo poſt Reſurrectio- „ nem Domini ducenſimus & ſexageſimus „ annus impletus eſt, Probo Imperatore, „ Paulinoque Conſulibus, quum octava jam „ in Chriſtianos perſecutio ebulliret, *& innu-* „ *mera, Martyrum millia ipſis ſuis victoriis* „ *probaviſſent impletum eſſe, quod Dominus* „ *promiſerat, dicens:* Cùm autem tradent „ vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid „ loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora „ quid loquamini. Non enim vos eſtis qui „ loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui „ loquitur in vobis.

(*k*) Ita legunt Mſſ. quatuor Cod. & quidem rectè. Aliæ verò Editiones, *ſed reſponſione deficiens, ultimò collaturum.* Cod. unus *ultimè.*

ſuæ Sectæ aſſertione judicatus eſt. Qua ille confuſione affectus, & ſequenti tempore de Hipponenſi Civitate profectus, ad eam amplius non remeavit: ac ſic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui abſentes illa, quæ geſta ſunt, cognoverant, error ille ablatus, Catholica eſt intimata, ac retenta ſincera Religio.

CAPUT VII.

Libri & Tractatus Auguſtini contra fidei hoſtes ab ipſis etiam hæreticis ingenti ardore excepti.

Et docebat, ac prædicabat ille privatim, & publicè, in domo & in Eccleſia, ſalutis verbum cum omni fiducia adverſus Africanas hæreſes, maximéque contra Donatiſtas, Manichæos & (*l*) Paga-

(*l*) Editi & *Pelagianos*: reluctantibus omnibus Codic. & meritò, quia Auguſtino Presbytero nondum auditi erant Pelagiani, qui circ. ann. Chr. 410. e latebris erumpere cœperunt; & ſi Romæ in quinti Seculi exordio contra gratiam Dei jam obloquebantur, quod conſt. ex lib. de dono perſev. cap. 20. ubi Pelagius Auguſtini ſententiam ex confeſſionum libris ab Epiſcopo Afro laudatam dente canino momordit, & penè cum eo litigavit: Nihilominus per id temporis erroris fama ad Africam pervenire non potuit.

Paganos, libris confectis, & (*m*) repentinis sermonibus, ineffabiliter admirantibus Christianis, & (*n*) collætantibus, & hoc ipsum, ubi poterant, non tacentibus, sed diffamantibus. (*o*) Sicque, adjuvante Domino, levare in Africa Ecclesia Catholica exorsa est caput, quæ multo tempore illic (*p*) convalescentibus hæreticis, præcipuéque rebaptizante Donati parte majorem multitudinem Afrorum, seducta & oppressa (*q*) jacebat. Et hos ejus libros sive tractatus mirabili Dei gratiâ procedentes, ac profluentes, instructos rationis copiâ, atque auctoritate Sanctarum scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant: & quisquis, ut voluit, & potuit, notarios adhibens, etiam ea quæ dicebantur excepta descripsit. Et inde jam per totum Africæ corpus præclara doctrina, odorque suavissimus Christi diffusus & manifestatus est, congaudente quoque, eo comperto, Ecclesiâ

(*m*) Editi & *repetitis*. At Mss. & *repentinis*, id est extemporaneis, PP. S. Mauri.

(*n*) Cod. multi, & *conlaudantibus*.

(*o*) Cod. Reg. 541. *Sicque dono Dei pax in Africana Ecclesia orta est, apud quam multo tempore.* PP. S. Mauri testantur in Mss. legi *atque Dei dono levare.*

(*p*) Cod. aliqui *illis convalescentibus.*

(*q*) Cod. Vat. 1188. & oppressa *tacebat.*

ſiâ Dei transmarinâ. Quoniam ; ſicut : *Dum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra :* Ità etiam *quum glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra* (*r*).

1. ad Corinth. 12. v. 26.

CAPUT VIII.

Deſignatur Epiſcopus vivo Valerio, & a Megalio primate ordinatur.

Ille verò Beatus Senex Valerius ceteris ex hoc ampliùs exultans, & Deo gratias agens de conceſſo ſibi ſpeciali beneficio, metuere cœpit, ut eſt humanus animus, ne ab alia Eccleſia Sacerdote privata, ad Epiſcopatum quæreretur, & ſibi auferretur : Nam & id proveniſſet, niſi & hoc idem Epiſcopus cognito, ad locum ſecretum eum (*s*) tranſire curaſſet, atque occultatum a quærentibus minimè inveniri feciſſet. Unde ampliùs formidans idem Venerabilis Senex, & ſciens ſe corpore & ætate infirmiſſimum, egit ſecretis

C 5 litte-

(*r*) In editis additur : *Per idem tempus coram Epiſcopis hoc illi jubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hippone agebant, de fide & ſymbolo Presbyter adhuc Auguſtinus diſputavit. Verba ex lib.* 1. *Retract. cap.* 17. temerè huc translata, nam abſunt a Mſſ. omninò. Ita PP. S. Mauri ; ſanè in nullo ex noſtris Codicibus comparent.

litteris apud Primatem (*t*) Epiſcoporum Carthaginenſem, allegans imbecillitatem corporis ſui, ætatisque gravitatem, & obſecrans, ut Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus, quò ſuæ cathedræ non tam ſuccederet, ſed conſacerdos accederet Auguſtinus. Et quæ optavit, & rogavit ſatagens, reſcripto impetravit. Et poſtea (*u*) petito ad viſitandum & adveniente ad Eccleſiam Hipponenſem tunc primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo, & Valerius AntiſtesEpiſcopis qui fortè tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponenſibus, & univerſæ plebi inopinatam cunctis ſuam inſinuat tunc voluntatem: omnibusque audientibus gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti deſiderio clamantibus, Epiſcopatum ſuſcipere contra morem Eccleſiæ ſuo vivente Epiſcopo (*x*) Presbyter recuſabat. Dumque illi fieri ſolere, ab omnibus ſuaderetur, atque id ignaro transmarinis & Africanis Eccleſiæ exemplis probaretur, compulſus, atque coactus

Vid. geſt. Cart.Coll. diei3.cap. 247.

(*t*) Duo Mſſ. primatem Epiſcopum. Per id temporis nempe: ann. Chr. 395. quo ordinatus eſt Epiſcopus S. Doctor Primas totius Africæ ac Carthaginis Epiſcopus erat inſignis ille Aurelius, qui ſuffectus erat Genethlio a fine an. 390.

(*u*) Sic Mſſ. Editi verò, *poſt quam petitionem ad viſitandum adveniente.* PP. S. Mauri.

(*x*) Cod. 541. *Religioſus Presbyter.*

coactus ſuccubuit, (z) & Epiſcopatûs curam, & majoris loci ordinationem ſuſcepit. Quod in ſe poſtea fieri non debuiſſe, ut vivo ſuo Epiſcopo ordinaretur, & dixit, & ſcripſit, propter Concilii (a) univerſalis vetitum, quod jam ordinatus didicit: nec quod ſibi factum eſſe doluit, aliis fieri voluit. Unde etiam ſategit, ut Conciliis conſtitueretur Epiſcoporum, (b) ab ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam eſſe deferenda.

Proſp. in Chr. ad Concluſ. Olibrii & Paulini qui incidit in an. 395. Auguſtinum ordinat. refert.

CAPUT

(z) Cod. penè omnes prætereunt *& Epiſcopatus curam.*

(a) Hoc enim erat contra Eccefiæ morem & ſtatutum; quod conſtat ex Concil. Nicæno. Quantum autem id S. Viro diſplicuerit, teſtantur acta, in deſignatione ſui ſucceſſoris Eraclii Epiſt. 213. num. 4. Fauſtus autem ſuæ ordinationis annus extitit 395. Chr. juxta Proſperi chronicon, imminente Domini JEſu Natali die ex hom. 25. inter 50.

(b) In Concilio Carthaginenſ. III. ann. 397. cap. 3. præceptum eſt, *ut ordinatis Epiſcopis, aut Clericis prius ſtatuta Concilii inculcentur ab Ordinatoribus eorum: ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilii feciſſe pœniteat.* Sic legitur in Codic. Can. & conſtitut. Eccleſ. Rom. apud Leonis Edit. pag. 19. tom. 2. Editiones verò loc. cap. 2. leg. 3. in Cod. Afr. eſt can. 18.

CAPUT IX.

Pugnat cum Donatistis.

Atque ita factum est, ut Episcopus multò instantiùs, ac ferventiùs majore auctoritate, non adhuc in una tantùm regione, sed ubicumque rogatus venisset, verbum salutis æternæ alacriter, ac (*c*) gnaviter pullulante atque crescente Domini Ecclesia prædicaret, paratus semper poscentibus reddere rationem de fide, & spe, quæ in Deum est. Et ejus dicta atque excepta, maximè Donatistæ in eadem Hipponensi (*d*) vel vicina manentes Civitate, ad suos Episcopos deferebant. Quæ quum audissent, & contra fortè aliquid dicerent, aut a suis refellebantur, aut eadem responsa ad sanctum Augustinum deferebantur, eisque compertis, patienter, ac leniter, & ut scriptum est, *Ad Philip. 2. v. 12.* *cum timore & tremore salutem* (*e*) omnium *operabatur*: Ostendens, quàm nihil illi refellere voluerint, ac valuerint, quámque verum manifestumque sit, quod Ecclesiæ Dei fides tenet, ac docet. Et hæc diebus, ac noctibus ab eodem jugiter

(*c*) Cod. unus & editi *ac suaviter*. In altero deest *gnaviter pullulante*.

(*d*) Cod. unus *in eadem Hipponensi Ecclesia*.

(*e*) Unus e Mss. Floriacensibus, & Vatic. *hominum*.

giter agebantur; nam & Epiſtolas privatas ad quosque ejusdem erroris (*f*) Epiſcopos, & eminentes ſcilicet laïcos dedit, ratione reddita admonens, atque exhortans, ut vel ab illa ſe pravitate corrigerent, vel certè ad diſputationem venirent. At illi (*g*) cauſſæ * diffidentiâ ne (*h*) quidem unquam reſcribere voluerunt: ſed irati furioſa loquebantur, atque ſeductorem & deceptorem animarum Auguſtinum eſſe, & privatim, & publicè conclamabant; & ut lupum occidendum eſſe in defenſionem gregis ſui, dicebant, & tractabant; omniaque peccata a Deo indubitanter eſſe credendum poſſe dimitti iis, qui hoc facere potuiſſent, nec Deum timentes, nec homines (*i*) erubeſcentes. Et ut eorum cauſſæ diffidentia cunctis innoteſceret elaboravit: & publicis geſtis conventi, non ſunt auſi conferre.

*Aug. lib. I. c. Creſc. Intelligis, cauſ. mal. diffident. vos, nobiſcum nolle conferre.

Conventi ſunt ann. Chr. 403. ex Decr. Cart. Con. ut conſt. ex libello oblato Septimino Africæ Procons.

CAPUT

(*f*) Mſſ. quatuor: *Epiſcopos eminentes ſcilicet, & laicos dedit.*

(*g*) Pariſ. Edit. *At illi cauſſa diffidentiæ;* verior tamen noſtra apparet lectio, quum paullò poſt ſubdat Poſſidius juxta Pariſienſem Edit. *& ut eorum cauſſæ diffidentia;* ubi PP. S. Mauri emendant Lovanienſem editionem, legentem *cauſſa diffidentiæ.* Adſtipulatur noſtræ lectioni Cod. Vat. 1190.

(*h*) Cod. unus: *Nihil reſcribere voluerunt ſed irati furiosè loquebantur.*

(*i*) Cod. unus *nec homines reverentes.*

CAPUT X.

Circumcellionum furor.

Habebant etiam iidem Donatiſtæ per ſuas penè omnes Eccleſias inauditum hominum genus perverſum, ac violentum, velut ſub profeſſione (*k*) conti-

(*k*) Codic. 1190. *ſub profeſſione continentiæ.* Ex hoc Poſſidii loco, nec non ex his quæ de Circumcellionibus loquitur Optatus Milevitanus lib. 3. de Schiſm. Donatiſt. num. 4., quod nimirum Axido & Faſir circ. ann. Chr. 350. illorum rectores, *ab inſanientibus Sanctorum Duces appellabantur*, ſuſpicor Circumcelliones peculiarem Sanctitatis habitum aſſumpſiſſe, qualis eâ tempeſtate aſſumebatur a plurimis, ſive qui in privatis ædibus, ſive qui in diverſoriis ſolitariam ducebant vitam. Unde vehementer queritur Auguſtinus enarrat. in Pſalm. 132. n. 3. & 4. Monachos Circumcellionibus comparari: *Si comparandi ſunt*, inquit, *vos videte: Si verbis veſtris opus eſt, jam laboratis. Non opus eſt, niſi ut admoneatis unumquemque, ut attendat: Solùm attendat & comparet. Quid opus eſt verbis veſtris? Comparentur ebrioſi cum ſobriis, præcipites cum conſideratis, furentes cum ſimplicibus, vagantes cum congregatis? Verumtamen chariſſimi ſunt, & qui Monachi falſi ſunt. Et nos novimus inſtitutum; ſed non perit fraternitas pia, propter eos, qui profitentur, quod non ſunt.* Et ſanè ex Epiſt. Valentiniani Imperatoris ad Damaſum Papam an. Chr. 370. datâ, in qua eum monet de conſtitutione a ſe edita, ut nempe Eccleſiaſtici & continentes de Viduarum bonis nihil vel

continentium ambulantes, qui (*l*) Cir-
cumcel-

vel teſtamento vel donatione valeant percipere, conſtat *continentium nomine* intelligi debere Monachos. Inquit enim, in conſtitutionis exordio: *Eccleſiaſtici, vel qui continentium ſe volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillorum domos non adeant; ſed publicis exterminentur judiciis, ſi poſthac eos affines eorum vel propinqui putaverint deferendos.* Quod autem continentium nomine Monachi veniant conſtat ex Hieronymo Epiſt. 2. ad Nepotianum, dum ait: *Sacerdotes Idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcorta hæreditates capiunt: Solis CLERICIS ac MONACHIS hac lege prohibentur.* Quæ ſi vera ſunt jam longè diverſa amplectenda eſt ſententia de origine Monachatus apud Africam ex illis, quæ eruditis placuerunt nonnullis: Quapropter Petiliano dicenti, & tamquam criminanti Auguſtinum (quem tamen frequenter fuiſſe in liquido falſo deprehenſum teſtis eſt S. Doctor ipſe) quod ab ipſo fuerit Monachorum *vitæ genus inſtitutum;* reſpondit beatus Doctor lib. 3. cont. lit. Petil. cap. 40. num. 48. *ipſum vitæ illud genus, aut ignorare, aut potius diſſimulare toto orbe notiſſimum.*

(*l*) Codices aliquot legunt Circelliones; at ex antiquioribus & melioris notæ codicibus, nec non Optato Milevitano, & Auguſtino liquet lectionem in textu poſitam eſſe retinendam. Cujus vocis etymologiam, ſicut & genus hominum quale fuerit exponit Auguſtinus lib. 1. cont. Creſconium cap. 28. num. 5. his verbis: *Quis enim neſcit hoc genus hominum in horrendis facinoribus inquietum, ab utilibus operibus otioſum, crudeliſſimum in mortibus alienis, viliſſimum in ſuis, maximè in*

agris

cumcelliones dicebantur. Et erant in ingenti numero, (m) & turbis per omnes

agris territans, & victus sui causa CELLAS CIRCUMIENS RUSTICANAS, *unde &* CIRCUCELLIONUM NOMEN ACCEPIT, *universo penè Mundo famosissimum Africani erroris opprobrium.* Qui quum Donatistarum Episcopis per eorum Ecclesias famularentur jam a Constantini temporibus, nonnisi per Donatum Bagajensem in unum fuere collecti sub Constantis imperio. Quâ autem de causâ id acciderit exponit Optatus Milevitanus lib. 3. de Schism. Donatist. num. 4. *Veniebant*, inquit, *Paulus & Macarius* (a Constante missi) *qui pauperes ubique dispungerent, & ad unitatem singulos hortarentur: & quum ad Bagajensem Civitatem proximarent, tunc alter Donatus ejusdem Civitatis Episcopus, impedimentum unitati & obicem venientibus supra memoratis opponere cupiens, præcones per vicina loca & per omnes nundinas misit, Circumcelliones Agonisticos nuncupans, ad prædictum locum ut concurrerent, invitavit: & eorum illo tempore concursus est flagitatus*; paullò verò post subdit: *Nam quum hujusmodi hominum genus ante unitatem per singula loca vagaretur.* Horum autem duces per id temporis erant Axido & Fasir, qui, ut loquitur Optatus, *ab insanientibus Sanctorum Duces appellabantur.* In prioribus autem Optati verbis non gravetur lector advertere Circumcelliones dictos etiam esse *Agonisticos*: Quòd pugnarent adversùs eos qui sua tuebantur, ut exponit Ludov. Ellies Dupin in not. 71. ad lib. 3. Opt.

(m) Tanta erat crudelium hominum multi-
„ tudo, ut nec itinera, *ait Optatus*, poterant
esse

nes penè Africanas regiones conſtituti. Qui malis imbuti Doctoribus, audaciâ ſuperbiâ, & temeritate illicitâ, nec ſuis, nec alienis aliquando parcebant, contra jus fasque (*n*) in cauſſis interdicentes

„ eſſe tutiſſima, quòd Domini de vehiculis „ ſuis excuſſi ante mancipia ſua, dominorum „ locis ſedentia ſerviliter cucurrerunt. Qui „ quum in Eccleſia ferri non poſſent per „ Taurinum Comitem primò acceperunt di„ ſciplinam; *Quando*, eodem teſte, *in loco Octavenſi* (Numidiæ Oppido) *occiſi ſunt plurimi, detruncati ſunt multi: quorum corpora per dealbatas aras aut menſas usque in hodiernum potuerunt numerari.* Placuit enim Donatiſtarum vanitati tanquam Martyres venerari, illos præſertim quos Silveſtri Comitis milites ſuſtulerunt: Unde hæc ſunt Optati verba: „ Querelam per ordinem deponitis, ſub Leontio, „ ſub Urſacio injuriatos eſſe quàm plurimos; „ ſub Paulo & Macario necatos aliquos: A „ ſequentibus eorum neſcio quos ad tempus „ eſſe proſcriptos.

(*n*) In cauſſis legunt Codices Reg. ac duo Vaticani, conſentientibus etiam veteribus Codicibus, qui, ut teſtantur PP. S. Mauri ferunt in cauſſis, licet ex iisdem Mſſ. quidam loco *interdicentes*, habeant *intercedentes*: Doctiſſimi tamen Patres in textum hæc referre voluerunt, *contra jus fasque incautis interdicentes hominibuus.* Melior tamen noſtra apparet lectio, ſi ſequentia Optati verba loc. ſup. cit. conſiderentur. Exponens enim quæ a Circumcellionibus contra jus fasque agebantur ait num. 4. *Debitorum Chirographa amiſerant vires: nullus creditor illo tempore exigendi ha-*

tes hominibus: & nisi obedissent, damnis gravissimis & cædibus (o) afficiebantur, armati diversis telis, bachantes per agros villasque, usque ad sanguinis (p) effusionem accedere non metuentes. Sed dum Verbum Dei sedulò prædicaretur, & cum his qui oderant pacem, pacis ratio haberetur; illi (q) loquentem debellabant gratis, & quum advertùs

buit libertatem. Terrebantur omnes litteris eorum, qui se Sanctorum Duces fuisse jactabant: & si in obtemperando eorum jussionibus tardaretur, advolabat subito multitudo insana, & præcedente terrore creditores periculis vallabantur; ut qui pro præstitis suis rogari debuerant, metu mortis humiles impellerentur in preces. Festinabat unusquisque debita etiam maxima perdere; & lucrum computabatur ab eorum evasisse injuriis. Hoc igitur erat quod contra jus & fas Circumcelliones operabantur, ne scilicet causæ hominum qui sua dederant, discuterentur; & propterea Possidius eorum notat crudelitatem, & injustiam, dum in causis interdicebant, ne homines suum repeterent jus. Hinc suspicicor ad hunc Optati locum respexisse Possidium; nam quæ hic subdit: *& nisi obedissent, damnis gravissimis & cædibus afficiebantur* prorsus similiasunt his Optati: *& nisi obtemperando eorum jussionibus tardaretur, advolabat subito multitudo insana &c.*

(o) Sic uterque Reginæ Codex, & duo Vaticani, respondentque his Optari: *Creditores periculis vallabantur.* Edit. Paris. *afficiebant.*

(p) Cod. 1025. *usque ad sanguinis Ecclesiæ effusionem non metuentes.* Deest *accedere.*

(q) Cod. unus *illi loquentes.*

versùs eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant, & poterant, se se inde vel eripiebant, vel subducebant, & paci atque unitati Ecclesiæ cum suis, quibus poterant, cohærebant. Unde illi sui erroris Congregationes minui videntes, atque augmentis Ecclesiæ invidentes, accensi exardescebant irâ (*r*) gravissimâ, & intolerabiles persecutiones unitati Ecclesiæ (*s*) compacti faciebant; (*t*) ipsisque Sacerdotibus Catholicis & ministris aggressiones (*u*) diurnas, atque nocturnas, direptionesque rerum omnium inferebant. Nam & multos Dei servos cædibus debilitaverunt, aliquibus etiam calcem cum aceto (*x*) in oculos miserunt, aliosque occiderunt.

(*r*) Pleriq. Mss. *gravissimos & intollerabiles*.

(*s*) Cod. 541. *cum pactis faciebant.*

(*t*) Cod. Vat. 1190. *justis catholicisque Sacerdotibus.*

(*u*) Cod. unus *aggressiones diversas, atque nocturnas.*

(*x*) De singulari hâc Donatistarum crudelitate queritur S. Augustinus Epist. 111. Paris. Edit. alias 122. scriptâ exeunte ann. 409. fortè mense Nov. in qua ad consolandum Victorianum Presbyterum, ut æquanimiter a barbaris in Italiam & Hispaniam illata mala ferret: *Ecce*, inquit, *in regione nostra Hipponensi, quoniam eam barbari non attigerunt clericorum Donatistarum & Circumcellionum latrocinia sic vastant Ecclesias, ut barbarorum facta mitiora fortasse*

derunt. Unde etiam ſuis iidem Donatiſtæ rebaptizatores in odium veniebant.

CAPUT XI.

Profectus Eccleſiæ per Auguſtinum.

Proficiente (z) porrò doctrinâ divinâ, ſub Sancto, & cum ſancto Auguſtino

fortaſſe ſint. Quis enim barbarus excogitare potuit, quod iſti, ut in oculos Clericorum noſtrorum calcem & acetum mitterent, quorum membra etiam cetera plagis horrendis vulneribusque ſauciarunt. Quo ſcelere inaudito & novo ſuperiores diabolo inventi ſunt; qui ut loquitur Auguſtinus in brev. collat. cap. 11. num. 12. *Hoc in ſancti Job carne non fecit, quam in poteſtate acceperat affligendam.* Quod quum a Catholicis in collatione eis exprobraretur ait S. Doct. *Suſceperunt accuſare diabolum velut defenſum a Catholicis, dicentes eum magis crudeliter in carne Job oculis pepercisse, ut manerent ad ſpectaculum vulneris, quod univerſo corpori inflixerat.* Quod tanta expoſuere vehementia, ut ſic fortè intelligeretur piè ipſos feciſſe, qui oculos in hominibus perſequuti erant, ne cruciarentur videndo vulnera ſua, quæ ab eis per totum corpus acceperant. Inter quæ obſervare liceat ex lib. 3. Auguſtin. cont. Creſc. cap. 42. num. 46. quod *primò tantùm calce ad hoc facinus utebantur, ſed poſteaquàm illos, quibus hoc fecerant, citò ſalutem reparaſſe didicerunt, acetum addiderunt.*

(z) Cod. Reginæ 1025. *Proficientes porro doctrina divina ſub Sancto, & cum ſancto Auguſtino*

no in Monaſterio Deo ſervientes, Eccleſiæ Hipponenſi Clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innoteſcente, & clareſcente de die in diem (*a*) Eccleſiæ Catholicæ prædicationis veritate, ſanctorumque ſervorum Dei propoſito, (*b*) continentiâ, & paupertate profundâ, ex Monaſterio, quod per illum memorabilem virum, & eſſe, & creſcere cœperat, magno deſiderio poſcere, atque accipere Epiſcopos, (*c*) & Clericos

 pax

guſtino in Monaſterio Deo ſervientes, & Eccleſiæ Hipponenſi. Sic etiam legit Cod. Vatic. 1190. & ſolùm addit *in doctrina divina.*

(*a*) Ciſtercienſis Codex *Eccleſia Catholica.* Vox autem *prædicationis* ab uno ex Floriac. Mſſ. abeſt, ſicut & a Vatic. 1191.

(*b*) Duo Mſſ. *Continentiæ.* Ciſtercienſis Cod. *continentiæ paupertatem profundam.*

(*c*) Vix opus eſt monere vocem hanc *Clericos* a Poſſidio hîc accipi non pro iìs, qui inferioribus ordinibus mancipati erant, ſed pro illis, quibus majora incumbebant munera. Nam quum illos jungat Epiſcopis, ac teſtatur fuiſſe acceptos, & poſtulatos ad Eccleſiarum, vel Parochiarum regimen, prudenter pro Clericis inferioris Miniſterii accipi non poſſunt. Et ſanè frequentiùs vox *Clericus* apud antiquos ſignificat illos majoris ordinis; unde quum inferioribus Miniſtris applicabatur, hoc fiebat aliquâ adjectione poſitâ, S. Leo Epiſt. 2. inquiſit. 5. loquens de Presbyteris, ac aliis majorum ordinum, ad quos præcipuè Epiſcopi electio pertinebat, ait: *Nec a Clericis ſunt electi*

pax Ecclesiæ atque unitas & cœpit primò, & postea consequuta est. Nam ferme (d) decem, quos ipse novi, Sanctos ac venerabiles viros continentes (e) & doctissimos, (f) beatus Augustinus diversis Ecclesiis, nonnullis quoque emi-

electi. Siricius Pap. Epist. 1. cap. 14. eadem accipit vocem, tantùm pro iis, qui sunt majoris ordinis, dicens: *Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum;* sequentibus enim verbis indicat se de iis loqui, *qui gerenda Sacramentorum Ministeria suscipiunt.* Hinc S. Leo in Epist. 12. ad Anastasium Thessalon. cap. 4. & Epist. 10. ad Episcopos Viennensis Provinciæ vocat *Clericos minoris officii.* Quæ cum ita sint judicet Lector, an aptè Monachos ab Augustino fuisse institutos probetur, quia paullò ante Possidius ait: *Clerici ordinari cœperunt;* quod tamen docto cuidam viro placuit asserere. Quum enim in Augustini Monasterio, ut ex locis multis probari potest, essent Clerici, ut cum Leone loquar, *minoris officii*, hi deinde proficientes in doctrina & probitate, Clerici ordinari cœperunt, id est Sacerdotes, aut Diaconi, de quibus paullò post subdit: *Postulatos, & acceptos ab Ecclesiis fuisse.*

(d) Præter ipsum, qui fuit Calamæ Episcopus, ex his decem, septem in nostram venere notitiam: nempe Alypius Thagastensis, Evodius Uzalensis, Profuturus Cirtensis Numidiæ Metropolitanus, Fortunatus ejusdem Successor, Severus Milevitanus, Urbanus Siccensis, & Peregrinus.

(e) Cod. duo *& doctos.*

(f) Cod. unus *Beatissimus.*

eminentioribus, (g) rogatus dedit. Similiterque & ipsi (*h*) ex illo Sanctorum propsito venientes, Domini Ecclesiis propagatis, & Monasteria instituerunt; & studio crescente ædificationis Verbi Dei, ceteris Ecclesiis promotos Fratres ad suscipiendum Sacerdotium præstiterunt. Unde per multos, & in multis salubris fidei, spei, & charitatis Ecclesiæ innotescente doctrinâ, non solùm per omnes Africæ partes, verùm etiam in transmarinis, & per libros editos atque (*i*) in græcum sermonem translatos,

Monasteria per ejus alumnos instituta.

(g) Deest in Cod. uno *rogatus*.

(*h*) Sic legunt duo Mss. Vaticani. Editi *ex illorum Sanctorum*.

(*i*) Translatos ab Augustino ipso fuisse libros in græcum sermonem, definire non audeo; non quasi ob linguæ imperitiam id præstare non valuerit; sed quia disertè a Possidio non traditur. Et sane licet Augustinus græcis litteris leviter se fateatur imbutum, ac singulari modestia lib. 3. de Trinit. num. 1. dicat, illius linguæ inopia se imparem esse legendis libris de divina Trinitate scriptis; nihilominus multa suæ eruditionis in lingua illa præbet specimina, & adeò feliciter hujus utitur notitia, ut apprime videatur doctus. Nam, ut observat Parisiensis edit. Vitæ Augustini ejus operibus præfixæ lib. 1. cap. 2. num. 5. „ Legit Epiphanii commentarium de hæresibus, aut certè breviarium ejus (nempe „ anacephalæosim, ut constat ex lib. de hæ„ resibus ad Quodvultdeum) nondum latinitate

„ tate donatum. Deinde aliorum Patrum Græ-
„ corum libros evolvit, e quibus testimonia
„ non pauca deprompsit adversùs hæreticos.
„ Denique crebra græcarum vocum interpre-
„ tatio, quæ passim in ejus Opusculis occur-
„ rit, ac complurium scripturæ locorum ex
„ collatione græcorum Codicum cum latinis
„ restitutio, documento esse possunt, Augu-
„ stinum haud ita mediocriter græcè scivisse.
His addere liceat, quæ ex Græcorum Patrum libris disseruit adversùs Julianum, qui, quùm apprimè versatus esset in Græcorum operibus, ad Orientis provocavit Antistites, ut originalis peccati fidem everteret, cum quo manus ita conseruit Augustinus, ut verba e verbis fideliter a se translata testetur: De Basilio enim loquens hæc habet lib. 1. cap. 5. n. 18. *Quid de peccato primi hominis ad nos etiam pertinente dicat Sanctus sine ulla ambiguitate Basilius; quod & si reperi interpretatum, tamen propter diligentiorem veri fidem, verbum e verbo malui transferre de græco.* Et benè longum recitat testimonium ex sermone de jejunio. Et mussitante Juliano quasi Chrysostomus in hom. ad Neophytos originale negaret peccatum, satis dici non potest, quanto robore hominem revincat ex ipsa græcæ linguæ peritia. Varii enim quum essent Codices ac ferrentur: *Suspicionibus*, inquit, *non agamus & hic vel scriptoris error, vel varietas putetur interpretis. Ego ipsa verba græca, quæ a Joanne dicta sunt, ponam;* & ex illis concludit, negasse Joannem parvulos inquinatos non originis delicto, sed propriis personalibusque peccatis. Num. verò 22. cap. 6. & num. 26. Juliani arguens stultam temeritatem, qui ut imperitis liguæ græcæ tenebras offunderet ex verbis homiliæ laudatæ decerpserat: quædam

ad

latos, ab illo uno homine, & per illum multis, favente Deo, multa innotescere meruerunt. Atque hinc, ut *Psal.* 111.
scriptum est: *Peccator videns irascebatur,* v. 10.
dentibus suis (k) *frendebat, & tabescebat:* Servi autem (l) Dei, ut dictum est,
cum his qui oderant pacem, erant pacifici, *Psal.* 119.
& quum loquerentur, debellabantur gratis v. 7.
ab eis.

CAPUT XII.

Augustinus paratas sibi insidias errore ductoris devitat.

Aliquotiens verò etiam vias armati iidem Circumcelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum fortè iret rogatus ad visitandas, instruendas & exhortandas Catholicas plebes,

D 5 quod

ad rem non pertinentia, apertum luculentumque affert testimonium de peccato, quod per unum hominem intravit in Mundum; ac ex aliena quum recitasset versione, deinde graeca ipsa verba non interpretata profert; post quae subdit: *Quae verbum e verbo interpretata sic se habent.* Ex quibus apparret tantâ illius linguae notitiâ fuisse S. Doct. imbutum, ut e fontibus ipsis purissimis, & non e deturbatis lacunulis, limpidam Catholicae ac sincerae fidei hauriret aquam. Haec in quorundam gratiam sint dicta, qui omnem Augustino graecae linguae adimunt peritiam.

(k) Cod. unus *fremebat*

(l) Cod. duo *servi autem tui.*

quod ipſe frequentiſſimè faciebat. Et aliquando contigit, ut illi ſuccenturiati hactenus perderent captionem: Evenit enim Dei quidem providentiâ, ſed (m) ductoris hominis errore, ut per aliam viam cum (n) ſuis comitibus Sacerdos, quò tendebat, veniſſet, atque per hunc, quem poſtea cognovit errorem, (o) manus impias evaſiſſet. Et quum in omnibus liberatori Deo gratias egiſſet, omnino ſuo more illi (p) furentes nec Laicis nec Clericis pepercerunt, ſicut publicâ (q) conteſtantur geſta.

Inte-

(m) Cod. Vat. 1188. & Reg. 541. ſic legunt; ut olim editi. Pariſienſ. edit. auctoritate quorundam Mſſ. *ducatoris.*

(n) Vat. 1188. *cum ſuis ductoribus vel comitib.*

(o) De hoc periculo loquitur Auguſtinus in Enchyridio de fide, ſpe, & charitate cap. 17. num. 5. ut oſtendat non omnem errorem eſſe noxium: „ Nonnullis, *inquit*, errare pro- „ fuit aliquando, ſed in via pedum, non in „ via morum. Nam nobis ipſis accidit, ut „ in quodam bivio falleremur, & non iremus „ per eum locum ubi opperiens tranſitum no- „ ſtrum Donatiſtarum manus armata ſubſede- „ rat: Atque ita factum eſt, ut eo quò ten- „ debamus, per devium circuitum venire- „ mus; cognitisque inſidiis illorum, nos gra- „ tularemur erraſſe, atque inde gratias age- „ remus Deo.

(p) Voculam hanc auctoritate Cod. 541. poſuimus; nec recedit a Poſſidii genio, ut quia cap. 9. ait: *Irati furioſa loquebantur.*

(q) Cod. unus *continent.*

Interea ſilendum non eſt, quod ad laudem Dei per illius tam egregii in Eccleſia viri ſtudium domûsque Dei zelum adversùs prædictos rebaptizatores Donatiſtas geſtum, & perfectum eſt. Quum fortè (r) unus ex iis quos de ſuo

(r) Rem, ipſe Poſſidius, qui narrat, eſt, talis ac tantus vir, unus ex iis quos de ſuo Monaſterio & Clero Epiſcopum Calamenſis Eccleſiæ Auguſtinus propagaverat; qui licet præ modeſtia ſuum occuluerit nomen, ab eodem Auguſtino tamen multis proditur in locis, cujus proinde verbis Poſſidii geſta ſunt illuſtranda. Quum ex decreto Carthaginenſis Concilii ann. 403. celebrati, ad colloquium publicâ interpellatione Epiſcopi invitandi eſſent Donatiſtæ, ut pacificè pro Eccleſiæ bono unusquisque cum Catholico diſſereret Epiſcopo, inter alios Calamæ fuit apud acta a Poſſidio conventus Criſpinus Donatianæ partis Præſul. At hic diſtulit primò reſponſionem ad ſuorum Concilium; ſed quum iterum ann. Chr. 404. a Poſſidio repetita conventione vocatur, hanc apud acta protulit dignam fatuo ſententiam, quam ſervavit Auguſtinus lib. 3. cont. Creſc. cap. 46. num. 50. *Verba viri peccatoris ne timueris. Et iterum: In aures imprudentis cave quidquam dixeris; ne quum audierit, irrideat ſenſatos ſermones tuos. Poſtremo, hanc reſponſionem meam Patriarchali ſermone definio: Recedant a me impii, vias eorum noſſe nolo.* Riſerunt docti quique & indocti hominis ſtultitiam „ quippe, *ut ſalsè ait Auguſtinus*, ho„ minis dicentis verba viri peccatoris ſe non „ timere, cui reſpondere minime auderet; „ & in aures imprudentis ſe nolle aliquid dicere

ſuo Monaſterio & Clero Epiſcopos Eccleſiæ propagaverat, ad ſuam curam pertinentem Calamenſis Eccleſiæ Diœceſim viſitaret, & quæ didicerat pro pace Eccleſiæ contra illam hæreſim prædicaret,

„ cere, quaſi aliquod ſecretum fuerat imprudentibus auribus temere commiſſurus, quum „ ea quæ diceret multi prudentes poſſent audire, qualium cauſſa & Dominus Chriſtus „ tanta Phariſæis quamvis imprudentibus loquebatur; & nolle ſe noſſe vias impiorum, „ quaſi vias ſuas eum docere vellent quos „ impios putabat, ac non potius ipſe ſi teneret vias Dei, etiam impios docere deberet, „ ſicut ſcriptum eſt: Doceam iniquos vias „ tuas, & impii ad te convertentur. „ Quapropter ex amara & virulenta reſponſione illa acutiores quique intellexerunt „ quod Criſpini „ doctiſſima annoſitas, heſterno contra ſtante „ tyrone (Poſſidio nempe) nihil adverſus „ veritatem poſſe probaretur. „ Alterâ proinde viâ dirimendam cenſuit litem. Paucos poſt dies quum iter ageret Poſſidius, ut fundum Figulinenſem ad Diœceſis curam pertinentem viſitaret, Catholicosque illic degentes, in pace firmaret; aliosque, ſi vellent audito verbo Dei, ad unitatem ſuſciperet, de repente latronum more duce altero Criſpino Presbytero inſidiati ſunt, qui dicebatur eſſe Epiſcopi propinquus Auguſtino teſte Epiſt. 105. olim 166. num. 4. Et ſanè in armatorum inſidias incidiſſet Poſſidius, niſi per nuntium certior de inſidiis factus aliò divertiſſet, nempe ad fundum Livetenſe, vel ut habent Mſſ. ſeptem Olivetenſe; „ Ubi ille nihil auderet, „ vel non prævaleret, vel ſi quid etiam feciſ-

„ ſet,

dicaret, factum est, ut medio itinere eorum insidias incurrisset, & pervasum cum omnibus illi comitantibus, sublatis animalibus, & rebus, injuriis & cæde eum gravissimâ affecissent. De qua

„ set, negare non posset. „ Quod ut comperit cæcus homo, statim adiit domum, in qua cum suis se Episcopus incluserat, cæpitque eam, ut loquitur Augustinus, „ sepire „ armatis, lapidibus circumtundere, ambire „ flammis, aditum ex omni parte moliri. „ Quæ verò aderat incolentium multitudo, „ memor periculi sui, si in eo loco aggressum „ tantum facinus impleretur, partim illum „ deprecabatur ut parceret, quem resistendo „ non audebat offendere, partim verò ignes „ suppositos extinguebat. „ Tanta autem insani Presbyteri fuit rabies & amaritudo, ut eum suosque commanipulares tertiò gens illa compresserit; quod nisi egisset procul dubio Augustino teste in Epist. 105. Possidius cum domo & suis ibidem conclusis, vivus combustus esset. „ Quum verò ille nihilò segnius cæptis fervidus atque inexoratus in„ staret, cessit aliquando ictibus janua, in„ gressi sunt, sauciatisque cæde jumentis quæ „ in inferiore domûs parte compererant; de „ superioribus Episcopum deposuerunt, affi„ cientes plagis & contumeliis. Ubi ne gra„ vius sævirent, intercessit ipse Crispinus, „ velut aliis rogantibus flexus, quorum non „ tam videbatur in ira sua curare deprecatio„ nem, quàm in facinore testimonium formi„ dare. „ Infandum hoc Donatistarum nefandumque scelus quum referat Possidius ipse hoc in cap. Christianâ mansuetudine & moderatione

qua re, ne pacis Ecclesiæ ampliùs impediretur profectus, (*s*) defensor Ecclesiæ

ratione totum quasi in alterum commissum narrat, & vix ait, Catholicum Antistitem *pervasum cum omnibus illi comitantibus, sublatis animalibus & rebus, injuriis & cæde gravissima affectum fuisse.*

(*s*) Quum infaustum nuncium perpetrati sceleris Calamam pervenisset, a bonis omnibus „ exspectabatur Crispinus vester, *inquit* „ *Augustinus lib.* 3. *contr. Crescon. cap.* 47. „ Quemadmodum in suum Presbyterum vin„ dicaret. Accessit etiam protestatio munici„ palibus gestis expressa, cujus vel timore „ vel pudore cogeretur exercere Ecclesiasti„ cam vindictam, (*degradando nempe aut sal„ tem a communione pellendo Presbyterum*) „ quòd quum omninò contemneret, tantus„ que fieret vestrorum tumultus, ut veritati „ prædicandæ, cui respondere non poterant, „ itinera clausuri putarentur, immo vero jam „ etiam cernerentur. „ Hinc ne per hujusmodi truculentos homines, nec ipsi crudelitatum omnium Magistro comparandos, Ecclesiæ pax, & profectus turbaretur, *defensor Ecclesiæ*, ait ipse Possidius: *Inter leges non siluit.* In qua re Ecclesiastica apparuit mansuetudo, & prudentia. Non enim Catholici Antistites privato furore sævierunt, ac illatas ulti sunt contumelias, sed publicis legibus; & quum multis legibus Ecclesiæ licitum esset contra Hæreticos agere, tunc potissimum placuit illa Theodosii Senioris uti, jam inde a 17. Kal. Julii ann. 392. in Hæreticos promulgata omnes, quæ est in Cod. Theod. de hæretic. 21. quâ statuitur: *Ut in superstitione deprehensus solvat decem auri libras.*

ſiæ inter leges non ſiluit. Et præceptus eſt Criſpinus, qui eisdem Donatiſtis in Calamenſi Civitate & regione Epiſcopus fuit, prædicatus ſcilicet & multi temporis, & doctus ad multam teneri aurariam publicis legibus contra Hæreticos conſtitutam. Qui reſultans legibus præſentatus, quum apud Proconſulem ſe negaret hæreticum, oborta eſt neceſſitas ut illi recedente (*t*) Eccleſiæ defenſore, a Catholico Epiſcopo reſiſteretur, & convinceretur eum eſſe, quod ſe fuiſſe negaverat: Quoniam ſi ab eodem diſſimularetur, fortè Catholicus Epiſcopus ab ignorantibus (*u*) Hæreticus

Multa auraria Hæreticis indicta Vid. Aug. Ep. 88. n. 7.

Couflict. Poſſidii & Criſpini accidit an. Chriſt. 405.

(*t*) Quis fuerit hic Eccleſiæ defenſor, qui inter leges non ſiluit, tacet Poſſidius; per hæc, quæ de illo hîc habet, fortè innuit eum fuiſſe e cætu Laicorum. Nam incumbente neceſſitate, ut Criſpinus demonſtraretur Hæreticus, *receſſit Eccleſiæ defenſor*, ne ſe diſputationibus Religionis implicaret, & a Poſſidio tanquam *Epiſcopo* convictus eſt Criſpinus, oſtenſusque Hæreticus. Conſulat lector Edition Pariſienſ. Op. Divi Aug. præfixam vitam lib. 5. cap. 11. num. 3. Obſervare nihilominus oportet aliquando Eccleſiæ defenſores fuiſſe Clericos, ut monumentis multis probari poſſet; & receſſit fortè (ſi Clericus fuit) non quia illud erat homini interdictum, ſed quia non tantæ erat doctrinæ & eruditionis, ut publici certaminis aleam cum plena victoriæ ſpe ſubiret.

(*u*) Lovanienſes vocem *Hæreticus* expunxerant, renitentibus Mſſ.

Quando sub Conf. Stilic. III. & Anthe. Id Dec. Ravennæ lata est lex adv. Donatist.

reticus crederetur, illo se quod erat negante, atque ita ex hac desidia infirmis scandalum nasceretur. Et memorabili Augustino antistite omnimodis instante, ad controversiam ambo illi Calamenses Episcopi venerunt, & de ipsa diversa communione tertiò conflictum secum egerunt, magna Populorum Christianorum multitudine caussæ exitum, & apud Carthaginem, & per totam Africam exspectante: Atque ille Crispinus proconsulari & libellari sententiâ est pronunciatus Hæreticus. Pro quo ille apud Cognitorem Catholicus Episcopus intercessit, ne auraria multa exigeretur; & ei est beneficium impetratum. Unde quum ingratus ad piissimum (*x*) Principem provocasset, & ab Imqeratore relationi debitum est responsum solutum, & (*z*) consequutum est præceptum, nullo prorsus loco Hæreticos Donatistas esse debere, & eos ad vim legum omnium contra Hæreticos latarum (*a*) ubique teneri debere. Ex quo & Judex, (*b*) & Officium, & idem

(*x*) Cod. 541. *ad piissimum judicem.*

(*z*) Mss. tres: *& consequenter præceptum.* Unus addit *etiam est.*

(*a*) Cod. Reg. *ibique.*

(*b*) Hunc locum male correctum a Lovaniensibus, *& judex propter officium;* ac ab Ulimmerio sic: *Ex quo & idem Crispinus, & ceteri*

idem Crispinus, quòd minimè fuerit exactus, præcepti sunt denas auri libras fisci juribus inferre. Sed protinus opera data est (*c*) per Catholicos Episcopos, præci-

ceteri sibi compares Hæretici præcepti sunt denas &c. „ restituerunt PP. S. Mauri; ubi ob„ servant etiam quod officium hoc loco poni„ tur pro rei forensis administris, quales sunt „ exceptores, qui judici operam suam præ„ stant, ut in lib. 3. cont. Crescon. cap. 29. „ & Brev. Collat. die 1. c. 8. & die 3. cap. 1. „ & cap. 17. num. 32. & lib. post Collationem „ cap. 24. n. 41. & 42. & lib. de Unit. Eccles. „ cap. 20. n. 54. nec non in actis Collationis „ Carthag. passim.

(*c*) Sanctissimorum Præsulum clementia non „ eò commemoratur a nobis, ut animum ad„ damus impiis, qui falsis dogmatibus scin„ dunt ac labefactant Ecclesiam Christi, sed „ ut ostendamus quanta mansuetudo deceat „ Ecclesiasticum Doctorem. Non ideo Cæ„ sarum leges robur non habebant, quòd ha„ rum severitatem aliquando piorum homi„ num intercessio mitigaret, præsertim ubi „ manifesta pœnitentiæ signa spem vitæ cor„ rectionis præberent. Nec enim ideo non „ est justa lex, quæ jubet homicidam plecti „ capite, quod Episcoporum pietas talibus „ nonnunquam impetravit vitam. Alioqui „ latronem dimittere, in plurium perniciem „ grassaturum non est clementia, sed crudeli„ tas. Proinde quemadmodum ad tuendam „ reipublicæ tranquillitatem necessaria est le„ gum principalium severitas: Ita laudanda „ est in Episcopis Christi Vicariis Christiana „ lenitas. „ Non commemorassem hæc ab

præcipuè per ſanctæ memoriæ Auguſtinum, ut illa omnium condemnatio Principis dimitteretur indulgentiâ: Et Domino adjuvante perfectum eſt. Qua diligentiâ & ſancto ſtudio multùm crevit Eccleſia.

CAPUT XIII.

Pax Eccleſiæ per Auguſtinum.

Et de his omnibus pro pace Eccleſiæ geſtis, Auguſtino Dominus, & hîc palmam dedit, & apud ſe juſtitiæ coronam reſervavit: ac magis magisque, juvante Chriſto, de die in diem augebatur, & multiplicabatur pacis unitas, & Eccleſiæ Dei fraternitas. Et id maximè factum eſt (*d*) poſt collationem, quæ ab univerſis Epiſcopis Catholicis apud Carthaginem çum eisdem Donatiſtarum Epiſcopis poſtmodum facta eſt, id jubente glorioſiſſimo & religioſiſſimo Impe-

Habita eſt collatio ann. Chr. 411. poſt Conſ. Varani, & diebus

Eraſmo dicta in Epiſt. ad Alſonſum Epiſcop. Toletanum præfixam operibus D. Auguſtini, niſi coegiſſet Joannis Clerici importunitas, qui tamquam tyrannicas leges infamat illas, quas pietate Catholica Imperatores tulerunt, ac præſertim Honorius & Theodoſius, ne impunè ſuperſtitiones graſſarentur.

(*d*) Edit. Lov. *per collationem*. Et infrà pro *id jubente* poſuit *adjuvante*; cui tamen lectioni ſuffragantur Cod. duo nempe Vat. 1188. & Reg. 541.

Imperatore Honorio; propter quod perficiendum etiam a ſuo latere (*e*) tribunum & notarium Marcellinum in Afri-

trib. perfecta eſt, nempe Kal. Jun. 3, Non. & 6. Id. ejusdem meſ.

E 2

(*e*) Qualis quantusque vir fuerit hic Marcellinus, nedum abunde teſtantur acta Carthaginenſis Collationis, verùm & multis in locis Hieronymus, Auguſtinus, & Oroſius. Virum prudentem & induſtrium ultimus iſte appellat, ac omnium ſtudiorum bonorum appetentiſſimum; quod ſatis teſtantur Auguſtini libri ad eum ſcripti: Nempe de peccatorum meritis & remiſſione ann. Chr. 412. de Spiritu & littera ann. eodem ac eruditiſſimi de Civitate Dei paullò poſt Collationem nempe an. 413. ut prætereram Epiſtolas multas ſuper graviſſimis noſtræ fidei quæſtionibus. Imò quod penè prodigio ſimile eſt, quum Hieronymus Urbis Romæ vaſtatione mærens jaceret, nec litteris operam dare poſſe teſtaretur, Marcellinus in media Reipublicæ turbatione ſubtiliſſimas de origine animæ quæſtiones propoſuit; paratior ipſe ad diſcendum, quàm Hieronymus ad docendum. Nec tamen ſpectabilis & clariſſimus Vir (his enim titulis ornabantur Tribuni Notarii) erat pro bono Reipublicæ otioſus; & propterea poteſtate magnâ præditus quum eſſet, Collationis electus ac miſſus eſt cognitor. Extat lib. 12. Cod. Titulus 91. de Primicerio & Notariis, ubi & de Tribunis Notariis agitur. In Theodoſii lege ſcriptum eſt: *Præcipua eſt noſtræ pietatis intentio circa Notariorum nomen.* Deinde in lege Leonis Imper. *Præclaram nobilemque militiam ſpectabilem Tribunorum Notariorum, diverſis beneficiorum titulis muniendam credimus & augendam.* Videntur, (ait Franciſcus Balduinus in Hiſt. Carth.

Africam judicem miserat. In qua controversia illi omnimodis confutati, atque de errore a Catholicis convicti, sententiâ Cognitoris notati sunt, & post eorum appellationem, piissimi Regis responso (*f*) justè inter Hæreticos condemnati sunt. Ex qua ratione solito ampliùs (g) eorum Episcopi cum suis Clericis, & plebibus communicaverunt, & pacem tenentes Catholicam, multas eorum

Carth. Collat. pag. 346. Edit. Opt. Antverpiæ) hi Notarii fuisse, qui nunc dicuntur Secretarii Regum in Gallia. Qualis autem Optimi Viri Marcellini fuerit finis, referre hîc non piget, ex Orosio: Hæc enim posterorum memoriæ consignavit lib. 7. suæ historiæ. In his diebus, *inquit*: Præcipiente Honorio & adjuvante Constantio Comite pax & veritas per universam Africam Ecclesiæ Catholicæ reddita est: Et Corpus Christi quod nos sumus, redintegrata discissione sanatum est, imposita executione Sancti præcepti Marcellino tribuno, viro imprimis prudenti & industrio, omniumque studiorum bonorum appetentissimo: Quem Marinus apud Carthaginem, incertum, zelo stimulatus an auro corruptus, occidit: Qui continuò revocatus ab Africa, factusque privatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam, conscientiæ suæ dimissus est.

(*f*) In quibusdam MSS. *injusti inter Hæreticos &c.*

(g) Cod. Vat. 1188. *eorum Episcopis.* Frobenii Edit. sic legit hunc locum: *Ex qua ratione notati sunt solito amplius eorum Episcopi, qui cum suis Clericis & plebibus non communicaverunt, & pacem tenentes Catholicam &c.*

eorum perſecutiones usque ad membrorum amputationem & internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, ut dixi, per Sanctum illum hominem, conſentientibus noſtris Epiſcopis & pariter ſatagentibus, (*h*) & cœptum, & perfectum eſt.

CAPUT XIV.

Emeritus Epiſcopus, Donatiſta, ſuperatus.

Porro autem; quoniam poſt illam, quæ cum Donatiſtis facta eſt, collationem, non defuerunt, qui dicerent,

 per-

(*h*) Tanta poſt Collationem Donatiſtarum multitudo ad Eccleſiam venit, ut Auguſtinus in lib. de geſtis cum Emerito num. 1. dicat: *Donatiſtas in nomine Chriſti in gremium Catholicum jam magna ex parte ſuſcepimus, ita ut penè omnes communioni Catholicæ ſociatos eſſe gaudeamus.* Quæ Donatiſtarum converſio ſicut a celebri collatione initium habuit; ita ne e fidelium memoria tam inſignis Eccleſiæ victoria elaberetur. *Præſentibus vobis*, ita Auguſtinus in laud. lib. num. 4., *Fratrem & Coepiſcopum meum Deuterium obſtringo, ut, quemadmodum fit apud Carthaginem, apud Thagaſtem, apud Conſtantiam, apud Hipponem, apud omnes diligentes Eccleſias, ſic etiam deinceps facere non pigreſcat: Ut annis omnibus per jejuniorum dies, id eſt, quadrageſima ante Paſcha, quando vobis maximè jejunantibus plus vacat audire, eadem geſta Collationis per annos ſingulos, univerſa a capite in finem recitentur.*

permiſſos non fuiſſe eosdem Epiſcopos apud poteſtatem, quæ cauſſam audivit, dicere omnia pro ſuis partibus, quoniam Catholicæ communionis Cognitor (*i*) ſuæ favebat Eccleſiæ: Licet hoc deficientes, & victi ad excuſationem jactarent, quando quidem & ante controverſiam iisdem Hæretici Catholicæ communionis eundem eſſe noverant, & quum ab eodem convenirentur publicis geſtis, quòd ad Collationem occurrerent, ſe eſſe facturos proſequuti ſunt.

(*i*) Revera tantùm abeſt ut iniquum ſe præſtiterit judicem Marcellinus, ut in ſuo edicto liberam optionem pro alio judice conceſſerit Donatiſtis: „ Et quoniam, *inquit:* Tanti „ mihi negotii ſummam committere voluit „ Auguſtiſſimus Princeps, illud quoque fateor „ me libenter accipere, ut, ſi de mea perſona „ aliquid cunctationis affertur, alium mecum „ judicem quem ipſi delegerint Donatianæ „ partis & fidei, vel ſuperioris, vel ſimilis „ dignitatis reſidere non abnuam. Sive autem „ cum alio ſive ſolus in hoc negotio judicaturus interero, nihil aliud me, niſi quod allegationes partium examinatæ potuerint demonſtrare & quod veri invenerit fides, per „ admirabile myſterium Trinitatis, per Incarnationis Dominicæ Sacramentum, & per „ ſalutem ſupra memoratorum. Principum „ judicaturum me eſſe promitto. „ Nec de ejus perſona dubitarunt Donatiſtæ, nec alium eligere voluerunt, ut ipſe obtulerat; quinimmò ſepè in Collatione teſtantur ejus juſtitiam & æquitatem.

ſunt. Poterant utique ſuſpectum eum habentes recuſare congreſſum. Tamen Omnipotentis Dei præſtitit auxilium, ut poſtea in Cæſarienſi Mauritaniæ Civitate conſtitutus venerabilis memoriæ Auguſtinus, quò eum venire cum aliis ejus Coëpiſcopus Sedis Apoſtolicæ litteræ compulerunt, (*k*) ob terminandas videlicet

(*k*) Poſt Concilium totius Africæ plenarium ann. Chr. 418. Kal. Majis adverſus Pelagianos celebratum, a Zoſimo Papa legatus miſſus eſt in Mauritaniam Cæſarienſem, ob quasdam Eccleſiaſticas neceſſitates, inquit Poſſidius. Quæ autem hæc impulit neceſſitas, ut legatus deſtinaretur Auguſtinus, exponit ipſe in Epiſt. 209. aliàs 261. circiter poſt quinquennium ſcripta ad Cæleſtinum Papam num. 8. ubi loquitur de ſententia in tres Epiſcopos lata: „ Exiſtunr exempla ipſa, *inquit*, Sede Apo- „ ſtolica judicante, vel aliorum judicata fir- „ mante, quosdam pro culpis quibusdam, nec „ Epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos „ omnimodis impunitos. Quæ ut a noſtris „ temporibus remotiſſima non requiram, re- „ centia memorabo. Clamet Priſcus Provin- „ ciæ Cæſarienſis Epiſcopus: Aut ad Prima- „ tus locum ſicut ceteris & mihi patere de- „ buit, aut Epiſcopatus mihi remanere non „ debuit. Clamet alius ejusdem Provinciæ „ Victor Epiſcopus, cui relicto in eadem pœ- „ na, in qua & Priſcus fuit, nusquam niſi in „ Diœceſi ejus ab aliquo communicantur Epi- „ ſcopo: Clamet inquam; Aut ubique com- „ municare debui, aut etiam in meis locis „ communicare non debui. Clamet tertius ejus-

delicet alias Ecclesiæ necessitates: Hâc ergo occasione provenit, (*l*) ut Emeritum ejusdem loci Donatistarum Episcopum,

„ ejusdem Provinciæ Victor Episcopus, &
„ prorsus hujus vocibus clamet: Aut in Ca-
„ thedra, cui ordinatus sum, sedere debui,
„ aut Episcopus esse non debui. Sed quis ista
„ vituperet? Nisi qui parum attendit, nec
„ inulta omnia relinquenda, nec uno modo
„ omnia vindicanda. „ Propter hoc ergo judicium Cæsaream venit, & ibi 20. diem egit Septembris; in qua urbe quum Eemeritus Donatistarum Episcopus moraretur, pro bono Ecclesiæ cum convenit.

(*l*) Emeritus iste fuit unus ex septem actoribus Donatistarum in Collat. Carthaginensi, quem in sua Urbe Cæsareensi, cujus Augustino teste 2. retract. cap. 51. Civis & Episcopus erat, publicè convenit, & cum eo agere voluit præsentibus Episcopis Provinciæ, ac pleble. Et quoniam ipse, eodem S. Doctore teste in lib. de gestis cum eodem num. 10. auctor fuerat sententiæ quæ a Concilio Bagaitano an. 394. 24. April. a Donatistis Episcopis 310. lata fuit pro Primiano, in Maximianum ejusque ordinatores & socios; propterea Augustinus Maximanistarum exemplo Ecclesiæ caussam defendit: *Ubi non inveniens quid responderet, totum sermonem meum,* -inquit loc. laud. retract. *quem de solis Maximianistis in auribus ejus & omnium qui arderent, explicavi, tamquam mutus audivit.* Diffusus, sparsusque de Emerito rumor quidam fuit, circa vitæ exitum Catholicæ Ecclesiæ nomen dedisse: At fallax fama fuit, & mendax. Licet enim ab Augustino convictus, numquam tamen pacem unitatem-

ſcopum, quem ſuæ Sectæ præcipuum in illa collatione habuerunt defenſorem, videret, & cum eodem publicè in Eccleſia populo adſtante diverſæ communionis, ex hoc ipſo diſputaret, & provocaret geſtis Eccleſiaſticis, ut quod fortè, ſicut dicebant, proſequi potuit in collatione, ſed permiſſus non erat, in præſenti ſine alicujus poteſtatis prohibitione aut potentia ſecurus dicere minimè dubitaret, & in ſua Civitate ſuis omnibus præſentibus fiducialiter propriam defendere communionem non denegaret. Ille (*m*) neque hac horta-

tatemque amplexus eſt, unde foris a radice Matris Eccleſiæ invidiæ falcibus amputatus, pertinax in ſchismate obiit.

(*m*) His enim verbis pacificè eum alloquutus eſt Auguſtinus, ut vix humanius quidpiam excogitari queat, quæ ſervavit ipſe in lib. de geſtis num. 3. *Frater Emerite, præſens es: Collationibus interfuiſti, ſi victus es, quare veniſti? Si autem te victum eſſe non putas, loquere unde tibi victor eſſe videaris? Tunc enim victus es, ſi veritate victus es. Si autem videris victus poteſtate, & viciſti veritate; non eſt hic poteſtas, qua victus videris: Audiant cives tui, unde te victorem præſumis eſſe. At ſi noſti adversùs te victricem fuiſſe veritatem, quid adhuc reſpuis unitatem?* Et poſt quam Emeritus reſponſum illud dedit a Poſſidio memoratum, ac deinde taceret, tunc Auguſtinus tanquam amicus medicus, cupiens vivere, ut ægrum ſua ſanet ac relevet arte,

tione, nec suorum parentum & civium instanti petitione id facere voluit, qui ei pollicebantur, sed ad ejus redituros communionem, etiam cum discrimine patrimoniorum, salutisque suæ temporalis, si modò Catholicam superaret assertionem. At ille ampliùs dicere illis gestis nihil voluit, nisi tantùm: „ Jam „ illa, inquit, gesta continent apud „ Carthaginem inter Episcopos confe- „ cta, utrùm vicerimus, an victi fue- „ rimus. „ Et alio loco, dum a notario, ut responderet, (*n*) admoneretur, & reticeret, ejus cunctis manifestatâ diffidentiâ, Ecclesiæ Dei augmenta, ac firmamenta provenerunt. Quisquis ergo diligentiam, & operam beatissimæ memoriæ Augustini pro Ecclesiæ Dei statu cognoscere pleniùs voluerit, etiam illa percurrat gesta: Et inveniet, quæ vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquentem, & prædicatum hominem provocarit, hortatusque fuerit, ut pro suæ defensione partis quod vellet ediceret; illumque victum cognoscet.

Gest. cum Emer. habita sunt Honorio XII. & Theodos. VIII. Cons. XII. Kal. Oct. ann. Chr. 418. Cæsareæ in Eccl. Maj.

CAPUT

pietatis affectu motus, dixit ad populum; *videtis Fratres diu tacentem, moneo ut optetis resipiscentem, obsecro ne sequamini pereuntem* num. 4. ejusdem libri.

(*n*) Cod. Reg. 541. *ut responderet . . tacuit. Et quum reticeret.* Alter 1025. . . . *admoneretur, nihil ait. Et quum reticeret.*

CAPUT XV.

Digreſſione concionantis converſus negotiator, nomine Firmus.

Scio item non ſolus ipſe, verùm etiam alii fratres & conſervi, qui nobiscum tunc intra Hipponenſem Eccleſiam cum eodem Sancto viro vivebant, nobis pariter ad menſam conſtitutis eum dixiſſe: Advertiſtis hodie in Eccleſia meum ſermonem, ejusque initium & finem contra meam conſuetudinem proceſſiſſe, quoniam non eam rem terminatam explicuerim, quam propoſueram, ſed pendentem reliquerim; Cui reſpondimus: Ita nos in tempore miratos fuiſſe ſcimus, & recognoſcimus. At ille: Credo, ait, quòd fortè aliquem *Sap. 7.* errantem in populo Dominus per no- *v. 16.* ſtram oblivionem, & errorem doceri, & curari voluerit, in cujus manu ſunt & nos, & ſermones noſtri. Nam quum propoſitæ quæſtionis (*o*) latebras pertractarem, in aliud ſermonis excurſu perrexi; atque ita non concluſa, vel explicata quæſtione, diſputationem terminavi, magis adversùm Manichæorum errorem, unde nihil dicere decreveram, diſputans, quàm de iis, quæ aſſe-

(*o*) In Mſſ. multis *latera*. In Cod. Vat. 1188. *latebram*.

afferere propfueram. Et poft hæc, nifi fallor, ecce alia die vel poft biduum venit quidam Firmus nomine, negotiator, & intra Monafterium fedente fancto Auguftino, nobis coram, ad pedes ejus genibus provolutus fefe jactavit, lacrymas fundens, & rogans ut pro fuis delictis Sacerdos cum * Sanctis Dominum precaretur, confitens quòd Manichæorum Sectam fequutus fuiffet, & in ea quàm plurimis annis vixiffet, & propterea pecuniam multam ipfis Manichæis, vel eis quos dicunt electos, incaffum erogaffet: Ac fe in Ecclefia, Dei mifericordiâ, fuiffe ejus tractatibus nuper correctum, atque Catholicum factum. Quod & ipfe venerabilis Auguftinus, & nos, qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potiffimùm in illo tractatu fibi fuerit fatisfactum, & referente eo, nobisque omnibus fermonis feriem recognofcentibus, profundum confilium Dei pro falute animarum admirantes, & ftupentes, glorificavimus Sanctum ejus nomen, & benediximus; qui quum voluerit, & unde voluerit, & quomodo voluerit, & per fcientes & per nefcientes falutem operatur animarum. Ex eo ille homo propofito Servorum Dei adhærens, negotiatoris dimifit actionem, & proficiens in Ecclefiæ mem-

* Edit. *cum fuis.*

membris, in alia regione ad Presbyterii quoque Dei voluntate petitus & coactus accessit officium, tenens atque custodiens propositi sanctitatem: & fortè adhuc usque in rebus humanis vivit trans mare constitutus.

CAPUT XVI.

Manichæorum exsecrandæ turpitudines detectæ.

Apud Carthaginem quoque, dum per quemdam domûs regiæ Procuratorem, nomine Ursum, fidei Catholicæ hominem, ad quosdam Manichæorum, quos electos, vel electas dicunt, præsentes perveniretur; atque ad Ecclesiam ab eodem deducerentur & perducerentur, ab Episcopis (*p*) ad tabulas auditi sunt. Inter quos etiam sanctæ memoriæ Augustinus fuit, qui præ ceteris illam exsecrabilem Sectam noverat, & eorum prodens ejusmodi damnabiles blasphemias ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichæi, usque ad confessionem earumdem blasphemiarum eos perdu-

(*p*) Ad tabulas auditi sunt; id est Notariis excipientibus, & in tabulas inferentibus interrogata & responsa: Sicque notariorum opere confecta sunt illa gesta, quæ hîc Ecclesiastica dicuntur, & in lib. de hæresibus hæret. 46. *Episcopalia*. PP. S. Mauri.

perduxit: Et quæ inter ſe illi ſuo more malo indigna & turpia facere conſueverant, feminarum illarum velut electarum proditione, (*q*) illis Eccleſiaſticis geſtis declaratum eſt. Atque ita paſto- rum

(*q*) Simili cautelâ & prudentiâ uſus eſt S. Leo ann. Chriſt. 444. Pontificat. ſui 5. ut in Urbe deprehenſos expelleret aut ſanaret Manichæos; quinimmo ad Epiſcopos per Italiam conſtitutos Epiſtolam direxit, ut pari ſollicitudine perditorum hominum genus inſectarentur: Plurimos, *inquit* Epiſt. 8. noviſſ. Edit. cap. 1. „ impietatis Manichææ ſequaces, & „ doctores in urbe inveſtigatio noſtra reperit, „ vigilantia divulgavit, authoritas & cenſura „ coercuit: Quos potuimus emandare, cor- „ reximus; & ut damnarent Manichæum cum „ prædicationibus & diſciplinis ſuis publica in „ Eccleſia profeſſione, & manus ſuæ ſub- „ ſcriptione, compulimus, & ita de voragine „ impietatis ſuæ confeſſos, pœnitentiam con- „ cedendo levavimus. Aliquanti verò, qui „ ita ſe demerſerunt, ut nullo his auxilii poſ- „ ſit remedio ſubveniri, ſubditi legibus, ſe- „ cundum Chriſtianorum Principum conſtituta, „ ne Sanctum gregem ſuâ contagione pollue- „ rent, per publicos judices perpetuo ſunt „ exilio relegati. Et omnia, quæ tam in „ ſcripturis, quàm in occultis traditionibus „ ſuis habent profana vel turpia, ut noſſet „ populus quid refugeret aut vitaret, oculis „ Chriſtianæ plebis certa manifeſtatione pro- „ bavimus: (Ecce publica geſta contra Ma- „ nichæos) adeò ut ipſe qui eorum dicebatur „ Epiſcopus, a nobis tentus, proderet flagi- „ tioſa in ſuis myſticis quæ teneret, ſicut ge- „ ſtorum vos ſeries poterit edocere.

rum diligentiâ, Dominico gregi & augmentis accessit, & adversùs fures atque latrones defensio competens procucurata est. Cum quodam etiam Felice, de numero eorum, quos electos dicunt Manichæi, (*r*) publicè in Hipponensi Ecclesia notariis excipientibus disputavit populo adstante: Et post secundam vel terriam collationem ille Manichæus frustrata vanitate & errore ipsius Sectæ, ad nostram conversus est fidem atque Ecclesiam, sicut * eadem relecta docere poterit scriptura.

Felix Manichæus convers.

* Acta cum Felice, To. 8.

CAPUT XVII.

Pascentius Comes Arianus in Collatione revincitur.

Præterea cum quodam etiam Pascentio, Comite domûs Regiæ, Ariano, qui per auctoritatem suæ Personæ fisci vehementissimus exactor, fidem Catholicam atrociter, ac jugiter oppugnabat, & quàm plurimos Sacerdotes Dei simpliciori fide viventes, dicacitate, ac potestate exagitabat, & perturbabat, (*s*) interpositis honoratis, & nobilibus viris,

Vide August. Epist 238. 239. & 241.

(*r*) Hîc editi addunt, *quippe Hipponem venerat eumdem seminaturus errorem.* Veerb sunt Augustini in lib. 2. retract. cap. 8. PP. S. Mauri.

(*s*) Editi loco *interpositis*, substituunt *præsentibus*.

viris, apud Carthaginem ab illo provocatus, coràm contulit. Sed idem Hæreticus tabula atque ſtilum, quod (*t*) Magiſter noſter, & ante congreſſum, & in congreſſu inſtantiſſimè fieri volebat, ne adeſſent, omni modo recuſabat. Et dum id pernegaſſet, dicens: Quòd metu legum publicarum periclitari tabulis ſcriptis nollet; atque interpoſitis id placere, Auguſtinus Epiſcopus cum ſuis qui aderant Conſacerdotibus videret, ut absque ulla ſcriptura privatim diſputarent, collationem ſuſcepit: Prædicens; ut poſtmodùm contigit, quòd poſt ſolutum conventum eſſe cuiquam poſſet liberum (*u*) fortè dicere, nullo ſcripturæ documento, ſe dixiſſe, quod fortè non dixerit, vel non dixiſſe, quod dixerit. Et miſcuit cum eodem ſermonem, atque aſſeruit, quid crederet, & ab illo, quid teneret, audivit, & verâ ratione atque auctoritate Scripturarum (*x*) probata docuit, & oſtendit noſtræ fidei firmamenta: Illius autem aſſerta nullâ veritate, nullâ Scripturarum ſanctarum auctoritate ſuffulta docuit, & fruſtravit. Et, ut a ſe invicem partes digreſſæ ſunt, ille magis magisque iratus, & furens, men-

(*t*) Floriacenſes duo Mſſ. *magis noſter.*
(*u*) Edit. Lov. addit *arbitrium.*
(*x*) Codices multi *prolata.*

mendacia multa pro fide ſua falſa jactabat, victum eſſe a ſe ipſo proclamans, multorum ore laudatum Auguſtinum. Quæ quum (z) minimè laterent, coactus eſt ad ipſum ſcribere Paſcentium, propter illius metum omiſſis nominibus conferentium, & in eis litteris quidquid inter partes dictum, vel geſtum fuerat, fideliter intimavit; ad ea, ſi negarentur, probanda magnam teſtium habens copiam, clariſſimos ſcilicet, atque honorabiles, qui tunc aderant, viros. Atque (*a*) ille ad duo * ſibi directa ſcripta, unum vix reddidit reſcriptum, in quo magis injuriam facere, quàm ſuæ Sectæ rationem valuit declarare. Quod a volentibus, & a valentibus legere comprobatur.

* Nempe Ep. 248. & 239., quibus brevi reſpondit Ep., quæ eſt 40. in ordine.

Cum ipſorum quoque Arianorum Epiſcopo quodam, Maximo, cum Gothis ad Africam veniente, apud Hipponem quàm plurimis volentibus atque petentibus, & præclaris interpoſitis viris contulit: Et quid ſingulæ aſſeruerint partes, ſcriptum eſt. Quæ ſi ſtudioſi diligenter legere curaverint, procul dubio

Collatio cum Maximo Epiſcopo Ariano.

(z) Hîc editi adjiciunt, *illum Venerabilem Virum.*

(*a*) Cod. Reg. 541. *Quod audiens Hæreticus ad duo ſcripta ſibi directa, unum librum reddidit ſcriptum.*

dubio (*b*) indagabant, vel quid callida & irrationabilis hæreſis ad ſeducendum & decipiendum profiteatur, vel quid Eccleſia Catholica de Divina teneat & prædicet Trinitate. Sed quoniam ille Hæreticus de Hippone rediens ad Carthaginem, de ſua multa in Collatione loquacitate victorem ſe de ipſa Collatione receſſiſſe jactavit, & mentitus eſt; quæ utique non facilè a divinæ legis ignaris examinari, & dijudicari poſſent: a venerabili Auguſtino ſequentis temporis ſtilo, & illius totius Collationis de ſingulis objectis & reſponſis facta eſt recapitulatio, & quàm nihil ille objectis referre potuerit, nihilo minùs demonſtratum eſt, additis ſupplementis, quæ in tempore Collationis anguſto cuncta inferi & ſcribi minimè potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis; ut ſua noviſſima proſequutione multò longiſſima, totum quod remanſerat diei ſpatium occuparet (*c*).

CAPUT

(*b*) Servavimus in textu lectionem Pariſienſem: Codex tamen 1025. legit *judicabunt*.

(*c*) Ex diſputationibus, quas ad refellendos veritatis inimicos, habuit Auguſtinus cum Donatiſtis, Manichæis, & Arianis, eruitur licitas eſſe illas, ubi ſpes eſt, ut firmetur fidei veritas; at quia non ſemper hoc ſperari poteſt, propterea non rarò interdictas invenimus ab Eccleſiæ antiquis Patribus, imo ab Augu-

Auguſtino ipſo. 'Nam conſtat ejus præcipuè induſtriâ & conſilio miſſos fuiſſe a Catholicis legatos ad Honorium in Italiam, ut Principis auctoritate conventus, & collatio cum Donatiſtis indiceretur; ſed quibus de cauſſis id præſtare coacti ſunt Antiſtites Catholici, luculenter exponit S. Doct. ipſe lib. 3. cont. Julianum; unde infertur non ſemper callationes cum Hæreticis laudabiles eſſe. Quum enim Pelagiana peſtis reciſa jam eſſet a Sede Apoſtolica, ac ab Afris Conciliis, & nihilominus adhuc judices, & collationem quærerent Pelagiani inſidiosè æquè, ac ambitiosè: „ Nec
„ vos, nec alios decipiatis, inquit Auguſti-
„ nus cap. 1. num. 5., velut talem vocem
„ habentes adversùm nos, qualem nos ad-
„ versùm Donatiſtas, quos ad Collationem
„ nobiscum venire per imperialia juſſa com-
„ pulimus: (Illorum enim furor occupave-
„ rat Africam totam, nec prædicare a Catho-
„ licis veritatem contra ſuum patiebantur er-
„ rorem, violentis aggreſſionibus, latrocina-
„ tionibus, itinerum obſidionibus, rapinis,
„ ignibus, cædibus multa vaſtantes, cuncta
„ terrentes:) cum quibus apud Epiſcopos,
„ quos communes non habebamus, nihil age-
„ re poteramus: quod verò ante ferme centum
„ annos majores noſtri cum eis egerant, jam
„ populorum memoria non tenebat. Hæc igi-
„ tur neceſſitas compulit, ut ſaltem geſtis no-
„ ſtra Collatione confectis, eorum contunde-
„ remus inverecundiam, & reprimeremus au-
„ daciam. Veſtra verò apud competens judi-
„ cium communium Epiſcoporum modò cauſſa
„ finita eſt: Nec ampliùs vobiscum agendum
„ eſt, quantùm ad jus examinis pertinet, niſi
„ ut prolatam de hac re ſententiam, cum pace
„ ſequamini: Quòd ſi nolueritis, a turbulenta
„ vel inſidioſa inquietudine cohibeamini.

CAPUT XVIII.

Pelagianiſtæ novi Hæretici, expugnati & condemnati.

Adversùs Pelagianiſtas quoque, novos noſtrorum temporum Hæreticos, & diſputatores callidos, (*d*) arte magis ſubtili,

(*d*) Quæ de calliditate Pelagii, & Cæleſtii tradit hîc Poſſidius, eadem fere dicta a Hieronymo, & Auguſtino ſunt in libris adversùs illos editis; hoc uno tantùm interveniente diſcrimine, quod ab Auguſtino velut facundi, acres, ac ſubtiles agnoſcantur diſputatores, quum Hieronymus more ſuo eos valde deprimat, vixque dignos reputet, cui mediocres ingenii, ac eloquentiæ tribuantur laudes. Hanc tamen ſingularem Pelagii artem Sanctus iſte vir detegit in Epiſt. ad Cteſiphontem data paullo ante Conventum Jeroſolymitanum ann. 415. celebratum Oroſio teſte; quæ, quum Hæreticorum fraudes aperiat, prorſus ejus verbis repreſentanda eſt: „ Loquere, quod „ credis, (ſic eleganter urget hominem,) pub- „ licè prædica quod ſecreto diſcipulis loque- „ ris. . . Aliud audiunt cubiculorum tuorum „ ſecreta, aliud roſtrorum populi: Etenim „ vulgus indoctum non poteſt arcanorum tuo- „ rum onera ſuſtentare, nec capere ſolidum „ cibum, quod infantiæ lacte contentum eſt. „ Necdum ſcripſi, & comminaris mihi reſcri- „ ptorum tuorum fulmina: Ut ſcilicet hoc „ timore perterritus, non audeam ora reſe- „ rare: Et non animadvertis idcirco nos ſcri- „ bere, ut vos reſpondere cogamini, & aper- „ tè aliquando dicere, *quod pro tempore, perſonis,*

„ *sonis, & locis vel loquimini, vel talibus.*
„ Nolo vobis liberum esse, negare, quod se-
„ mel scripseritis. ECCLESIÆ VICTORIA
„ EST VOS APERTE DICERE QUOD
„ SENTITIS. . . Eunomiani, Ariani, Ma-
„ cedoniani nominibus separati, impietate
„ concordes, nullum nobis laborem faciunt:
„ Loquuntur enim quod sentiunt. *Sola hæc*
„ *hæresis est, quæ publicè erubescit loqui, quod*
„ *secretò docere non metuit.* Magistrorum si-
„ lentia profert rabies discipulorum: Quod
„ audierunt in cubiculis, in tectis prædicant;
„ ut si placuerit auditoribus quod dixerint,
„ referatur ad gloriam Magistrorum, si displi-
„ cuerit, culpa sit discipuli non Magistri. „
Qui dolus diligenter observandus est, quemadmodum monet in aureo suo opere Vincentius Lirinensis cap. 26. Commonit. quum in hæresis exordio omnibus pene Sectarum institutoribus conveniat. Quantùm autem fraus illa nocere valeat ex his Prosperi versibus in carmine de ingratis quisque intelliget. Dolens enim a Massiliensibus Pelagianum dogma periculosiùs statui, quia occultiùs, & speciosiùs quàm a Pelagio ipso, quem damnare profitebantur, inquit cap. 38. v. 805.

O benè quòd diri erroris malus ille magister
Nullo prælevit lethalia pocula melle:
Sed non ambiguâ infectum feritate venenum
Protulit, & gustu virus detexit amaro!
Nam si argumenti primordia non onerasset
His quæ discipuli dempserunt callidiores,
Innumeras dubio cepisset plasmate mentes;
Quæ dum multa vident informia limine in ipso,
Horrida terrificæ declinant atria mortis.
Nec jam illis possunt attriti illudere fures,
Quorum quò tendant artes, atque unde oriantur.
Non dubiis promtum est cuivis agnoscere signis,

ſubtili, & noxiâ ſcribentes, & ubicunque poterant publicè & per domos loquentes, per annos ferme (*e*) decem laboravit, librorum multa condens & edens, & in Eccleſia populis ex eodem errore frequentiſſimè diſputans. Et quoniam iisdem perverſi Sedi Apoſtolicæ per ſuam ambitionem, eandem perfidiam, perſuadere cònabantur, inſtantiſſimè etiam Conciliis Africanis Sanctorum Epiſcoporum geſtum eſt, ut ſancto Papæ Urbis, & priùs (*f*) venerabili Innocentio, & poſtea S. Zoſimo ejus Succeſſori perſuaderetur, quàm illa

Proſp. in Cron. ad Theod. VII. & Palladii Conſ. Pelag. jam a Innocent. prædamnatis, Aforum

(*e*) Per annos ferme decem. Annos a Pelagiani erroris ortu ad illius per Zoſimum condemnationem computat. Nam alioqui contra eum errorem diſputavit ſcripſitque S. Doctor ab ann. Chriſti circiter 411. aut 412. quo ann. 412. libros de peccatorum meritis & remiſſione confecit, quum eundem errorem ſermonibus prius eſſet aggreſſus; usque ad ann. 430. quo morte occupatus eſt ſcribens ultimum opus in Julianum. Hinc Proſper in libro quem anno 433. contra Collatorem edidit cap. 1. *viginti ampliùs annis*, inquit, *contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus Viri ductu pugnat & vincit.* PP. S. Mauri. Ab exortu, ſeu potius manifeſtatione hæreſis usque ad damnationem ſub Zoſimo revera non inveniuntur niſi ſex aut ſeptem anni; quoniam damnatio illa per Eccleſias fuit ann. Chr. 418. divulgata. Cod. Reginæ 1025. *elaborabat.*

(*f*) In Cod. uno deeſt *venerabili*; in altero additur inſuper *pio.*

illa Secta a fide Catholicâ & abominanda, & damnanda fuisset. At illi tantæ Sedis Antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque a membris Ecclesiæ præcidentes, datis litteris, (g) & ad Africanas Occidentis, & ad Orientis partis Ecclesias, eos (*h*) anathemandos & devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et tale (*i*) de illis Ecclesiæ Dei Catholicæ prolatum judi-

vigore, & maximè August. Episcop. scientiâ resistebatur.

(g) Sic Mss. Editi verò *datis litteris ad Africanas Orientis & Occidentis Ecclesias* : Corruptè. PP. S. Mauri.

(*h*) Lugd. edit. & Cod. duo *anathematizandos.*

(*i*) Quæ de Pelagianorum proscriptionibus breviter, & strictim refert Possidius, eadem eleganter in aureo suo opere de ingratis canit Prosper, cujus carmina in medium oportet adducere, ut lux affulgeat aliqua editis adversùs Pelagianos decretis. Sic autem orditur caput tertium sanctus Vates:

„ Tu caussam fidei flagrantiùs, Africa, nostræ
„ Exequeris; tecumque suum jungente vigorem
„ Juris Apostolici solio, fera viscera belli
„ Conficis, & lato prosternis limite victos.
„ Convenere tui de cunctis urbibus almi
„ Pontifices, geminoque senum celeberrima cætu
„ Decernis QUOD ROMA PROBET, quod regna sequantur.
„ Nec sola est illic Synodorum exerta potestas;
„ Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
„ Vi

judicium, etiam piiſſimus Imperator Honorius audiens ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos, inter Hæreticos haberi debere conſtituit. Unde nonnulli ex

„ Vi premerent, diſcuſſæ artes viruſque retectum eſt
„ Hæretici ſenſus; nullumque omnino relictum,
„ Docta fides quod non diſſolveret argumentm,
„ Condita ſunt, & ſcripta manent, quæ de cataractis
„ Æterni fontis fluxere undante meatu,
„ Et ter centenis procerum ſunt edita linguis:
„ Sic moderante ſuam legem bonitate ſevera
„ Ut qui damnato vellent de errore reverti,
„ Acciperent pacem, pulſis qui prava tenerent.
„ An alium in finem poſſet procedere Sanctum
„ Concilium, cui Dux AURELIUS, ingeniumque
„ AUGUSTINUS erat?

Ex his Proſperi verſibus, necnon ex illis quæ Poſſidius hoc in capite refert, intelligere poſſumus, quo ordine proſcripti ſint Pelagiani; quem breviter hîc exhibere libet ad Poſſidii, & Proſperi illuſtranda loca.

Et ſi ab ann. 412. damnatus in Carthaginenſi Concilio Cæleſtius ad Sedem Apoſtolicam crediderit appellandum, ut cap. 1. commonit. docet Marius Mercator, eâ tamen mox ipſe appellatione neglectâ, Epheſum Aſiæ Urbem contendit, ibique auſus eſt per obreptionem locum Prresbyterii petere.

Ann. 416. Cæleſtius idem unà cum Pelagio damnatus eſt primò in Carthaginenſi Synodo, inſtantia Epiſcoporum Gallorum Erotis, & Lazari,

ex eis ad ſanctæ Matris Eccleſiæ gremium, unde reſilierant, redierunt, & adhuc alii redeunt, innoteſcente & prævaleſcente adversùs illum deteſtabilem errorem rectæ fidei veritate.

Lazari, deinde in Milevitana ab univerſis Numidiæ Epiſcopis, eodem anno congregatis: Moxque utriusque Concilii relationes ad Romanam transmiſſæ ſunt Sedem, unà cum geſtis Carthaginenſis Concilii ann. 412.

Africanorum litteris, ad eas reſcripta dedit VI. Kal. Februarii Honorio XI. & Conſtantio II. Coſſ. hoc eſt 27. Jan. die ann. 417. quibus decernit, ut in ſupradictos Pelagium & Cæleſtium fixa maneat damnationis ſententia; quæ Pontificis Epiſtolæ Afris reditæ ſunt inſtante quadrageſima, vel etiam jam inchoato ſacro jejunio (Paſcha eo anno 22. April. recurrente) per Julium Epiſcopum. Quo tempore moritur Innocentius nempe 4. Idus Martias ſeu die 12.

Præclarè igitur ait Proſper, Pelagianam hæreſim Afrorum Præſulum virtute fuiſſe debellatam; Sed cui tamen Juris Apoſtolici fuit vigor additus, ut ubique pro fidei hoſtibus haberentur

„ Tu cauſſam fidei flagrantiùs, Africa, noſtræ
„ Exſequeris; tècumque ſuum jungente vigorem
„ Juris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
„ Conficis, & lato proſternis limite victos.

quibus concinens Poſſidius ita loquitur. *Et quoniam iidem perverſi Sedi Apoſtolicæ per ſuam ambitionem eandem perfidiam perſuadere conabantur, inſtantiſſimè etiam Conciliis Africanis*

Sanctorum Episcoporum gestum est, ut sancto Papæ Urbis, & priùs Venerab. Innocentio, & postea S. Zosimo ejus successori persuaderetur, quàm illa Secta à recta fide Catholica abominanda & damnanda fuisset.

At e vivis erepto Innocentio, ac ordinato Zosimo die 18. Mart. ut ex Prospero, & Paschalino probabile est, licet Augustinus serm. 2. de Verb. Apost. dicat per Innocentii *rescripta, finitam fuisse caussam*, certum tamen est Zosimo recruduisse, dolis & cadiditate Pelagii & Cælestii. Nam teste Mercatore, uterque hæreticus coràm acturus caussam suam apud Ponticem, Romam totâ festinatione perrexit; & quoniam ut ait Possidius erant *disputatores callidi, arte magis subtili & noxia scribentes*, & loquentes, circumvenerunt Pontificem eò usque pœnitentiâ simulatâ, spem præbentes correctionis, *iidem perversi Sedi Apostolicæ*, quemadmodum loquitur Possidius, *per suam ambitionem eamdem perfidiam persuadere conabantur*. Hinc Zosimus ad Africanos Præsules mense Junio, vel Julio primas dedit Epistolas, aliasque rursus scripsit XI. Kal. Octob. hoc est 21. Sept. nondum recepto ad priores Afrorum responso; transmittens unà simul gesta Romani Concilii, in quo purgati fuere Pelagius & Cælestius, monensque ut suum ipsi corrigant judicium. Quas posteriores Epistolas acres & aculeatas in Africanos Præsules scripsit Zosimus, permotus recentibus litteris Praylii Jerosolymorum Episcopi, quibus caussæ Pelagii enixiùs adstipulator interveniebat.

Acceptis Zosimi litteris indixerunt Afri Episcopi autumnale Concilium eodem ann. 417. celebrandum; & ex illo geminam decrevere legationem, unam ad Honorium Augustum per Vindemialem Episcopum obeundam: Alte-

ram

ram ad Zosimum Pontificem a Marcellino Subdiacono suscipiendam. De hoc Concilio autumnale loquitur Prosper in Chronico ad ann. 418. *Concilio*, inquit, *apud Carthaginem celebrato* 214. *Episcoporum*, *ad Papam Zosimum decreta perlata sunt quibus probatis*, *per totum Mundum Pelagiana hæresis damnata est*. Nemo ex his Prosperi verbis inferat autumnale hoc Concilium referendum esse ad ann. Chr. 418. quia non definitè, sed indefinitè ait Prosper: *Concilio apud Carthaginem celebrato* (intellige per autumnalia anni præcedentis) *ad Papam Zosimum decreta perlata sunt*, *quibus probatis per totum orbem Pelagiana hæresis damnata est*, quæ revera acciderunt ann. 418. Nam licet Kal. Maji ann. 418. celebratum fuerit plenarium Africæ Concilium ad extirpandum e radicibus errorem, nihilominus hujus gesta non exspectavit Zosimus, sed susceptis Autumnalis Concilii actis Apostolico mucrone feriit Pelagium, & Cælestium; cujus decretum subsequuta est Synodus Kal. Maji anno. 418. celebrata. Et de utroque isto Concilio Autumnali nempe & Verno ita Prosper in versibus supra positis:

„ Convenere tui de cunctis urbibus almi
„ Pontifices, geminoque senum celeberrima cætu
„ Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur

Et quoniam de Conciliis istis subdit (quæ in unum miscet v. 91. & v. 184. ut in eadem ce. lebrata Civitate, & minimo temporis intervallo dissita:) quod in illis decreta quædam fidei fuerint sancita, dicens:

„ Con-

„ Condita ſunt, & ſcripta manent, quæ de catara&tis
„ Æterni fontis fluxere undante meatu,
„ Et ter centenis procerum ſunt edita linguis;

propterea cogimur dicere in Carthaginenſi hac duplici Synodo editos fuiſſe celebres illos de gratia canones octo, quos olim Concilium Turonenſe II. antiquos Milevitanos appellavit; quod luculento etiam teſtimonio D. Auguſtini in Epiſtola ad Valentinum comprobatur; non quaſi in his fuerint Synodis renovati, ut nonnullis placuit aſſerere, ſed tunc primùm Auguſtino teſte Carthagine conditi.

Per hæc eadem tempora ab Honorio Ravennæ commorante, emiſſa eſt conſtitutio adverſus Pelagium & Cæleſtium nefandæ hæreſis repertores. Cenſuit enim Optimus Imperator annuendum juſtæ petitioni maturè lectis & conſideratis geſtis, decretisque Africanorum Præſulum. An hæc Honorii conſtitutio Zoſimi præceſſerit ſententiam non eſt adhuc certum. Leonis editor argumentis multis ſuadere conatur præceſſiſſe Zoſimi ſententiam, quia emiſſa fuit Imperialis conſtitutio ante Kal. Maji ann. 418. His verò præcipuè movetur argumentis in Diſſert. 13. de Conc. Afr. cont. Pelag. tom. 2. op. D. Leon. Si Zoſimi decretum emiſſum erat, quum Imperatorium edictum ſancitum fuit, non illius profecto mentionem omiſiſſet Honorius; ſicut non ſilet de judicio Afrorum. Quin potius in edicto talis omnino Civitatis Romanæ ſtatus deſcribitur, qualis erat dum Zoſimus Papa, Xyſtus Presbyter, & alii Clerici Romani in Pelagium Cæleſtiumque propenſiores, utrumque innocentem jamjam erant pronuntiaturi. Quod fuit ante Pontificis ſententiam: Nam poſtea nihil amplius

amplius in ea turbarum creabat Hæreticus a qua aufugerat: non amplius difcors procerum Cleri illius fententia, qui omnes in Pelagii ac Cæleftii damnationem coierant, Xyfto omnium primo *anathema eis in Populo frequentiffimo pronuntiante*, ut ait Auguftinus Ep. olim 105. nunc 194.

Deinde Auguftinus libr. 2. ad Bonifacium cap. 3. refert Pelagianos de Clericis Romanis conqueftos effe, quafi juffionis terrore perculfi non erubuerint prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem fententiam fuam, *poftea pronuutiarent malam hominum effe naturam*. Ex Auguftino verò lib. 1. cont. Julianum cap. 4. conftat a Juliano ac Pelagianis prævaricationis crimine accufatum fuiffe Zofimum; fic refpiciebant pofterius Zofimi decretum, quo technis Hæreticis detectis, Catholicam de peccato originali fanxit doctrinam. At iftud Pelagiani criminantur conditum a Romanis juffionis terrore perculfis; quo loco intelligunt Imperatoris edictum. Ergo ante Zofimi conftitutionem fuit prolatum.

Poftremò hæc furentis Juliani querela, qua S. Auguftinum, & Alypium maledicentiffimis dicteriis infectatur, tamquam Edictorum Imperialium auctores aut Procuratores, innuit Zofimi conftitutionem fubfequutam fuiffe ad Afrorum decreta; & per confequens præceffiffe Zofimi judicium, alioquin huic & non illorum follicitudini tribueretur Imperialis fanctio. Sic autem lib. 3. Operis Imperfecti númer. xxxv. debacchatur in Antiftites illos: *Cur tantis totam Italiam factionibus commoviftis? Cur feditiones Romæ conductis populis excitaftis? Cur de fumptibus Pauperum faginaftis per totam fere Africam equorum greges, quos profequente Alypio, tribunis & centurionibus defti-*

deſtinaſtis? Cur matronarum oblatis hereditatibus poteſtates Seculi corrupiſtis, ut in nos ſtipula furoris publici arderet? Cur Religioſi Principis tempora perſequutionum impietate maculaſtis? Hæc, concludit Leonis editor, videntur reſpicere prius Honorii edictum, quod ſollicitudini ac precibus Africanorum jure poterat imputari.

Ut quid in perdifficili hac hiſtoriæ factique quæſtione erui ex Poſſidio poſſit, dicam: Tria mihi certa videntur. Primùm diſplicuiſſe Zoſimo hanc Afrorum ad Honorium legationem, quam ob cauſſam fuere a Pontifice admoniti, & correpti; quod conſtat ex Commonitorio, Fauſtino, aliisque legatis dato, quum in Africam miſſi paullo poſt ſunt. *Ne*, ait, *ad comitatum Epiſcopi importunè navigent.* Et quoniam nihil ſuper re hac ab Africanis Præſulibus reſponſum eſt, hinc meritò inferre licet, ſponte confeſſos eſſe quaſi legationem a ſe ultro miſſam ad comitatum. Duo alia quæ in dubium vix vocari poſſe videntur, apertè a Poſſidio traduntur hoc in capite 18. vitæ: nimirum ita per Epiſtolas Zoſimi & Innocentii damnatos proſcriptosque fuiſſe Pelagianos; ut tantæ Sedis Antiſtitum ſententia & judicium, fuerit ſententia ipſa, ac judicium totius Eccleſiæ Catholicæ, in quantùm cenſentes, ut ab omnibus damnarentur, omnes Innocentio & Zoſimo, tanquam Catholicæ fidei amatores acquieverunt. Quod Pontificum, & ſic Catholicæ Eccleſiæ judicium Imperator Honorius ſequutus eſt, quando Imperialem adverſus callidos Hæreticos legem tulit, ſive hæc Zoſimi præceſſerit ſententiam, ſive ſubſequuta ſit. Sequentia hæc Poſſidii verba, quod priori poſitum eſt loco probant: *At illi tantæ Sedis Antiſtites, ſuis diverſis temporibus eosdem notantes,*

Et erat ille memorabilis vir, præcipuum Dominici corporis membrum, circa universalis Ecclesiæ utilitatem sollicitus semper, ac pervigil. Et illi divinitùs donatum est, ut de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere provenisset, priùs quidem (*k*) in Hipponensi Ecclesia, & regione, cui maximè præsidebat, unitate, ac pace perfecta; deinde in aliis Africæ partibus, sive per se ipsum, sive per alios, & quos ipse dederat Sacerdotes, pullulasse, & multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam pervidens, illosque Manichæos, Donatistas, Pelagianistas, & Paganos ex magna parte defecisse, & Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudens; profectibus quoque & studiis favens erat, & exultans piè ac sanctè tolerans fra-

Ecclesiæ Catholic. quantum profuerint Augustini labores.

Hæretici & Pagani deficiunt.

tantes, atque a membris Ecclesiæ præcidentes, datis litteris & ad Africanas Occidentis Ecclesias eos anathemandos & devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis ECCLESIÆ DEI CATHOLICÆ PROLATUM JUDICIUM, *etiam piissimus Imperator Honorius* AUDIENS ET SEQUENS (per quæ verba probatur id quod posteriori positum est loco) *suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit.* Multa quidem dicta sunt, si notarum observationumque natura spectetur; at nemo inficiabitur quin pauca sint præ rerum amplitudine, & dignitate.

(*k*) Carnotensis Cod. *in Hipponensi Ecclesiæ regione.*

fratrum, ingemiſcensque de iniquitatibus malorum, ſive eorum qui intra Eccleſiam, ſive eorum qui extra Eccleſiam, ſunt conſtituti, Dominicis, ut dixi, lucris ſemper gaudens, & damnis mærens.

Auguſtini operum quàm ingens copia.

Tanta autem ab eodem dictata & edita ſunt, tantaque in Eccleſia diſputata, excepta, atque emendata, vel adversùs Hæreticos conſcripta, vel ex Canonicis libris expoſita ad ædificationem Sanctorum Eccleſiæ filiorum, ut ea omnia vix quisquam ſtudiorum perlegere & noſſe ſufficiat. Verumtamen ne (*l*) veritatis verbi avidiſſimos in aliquo fraudare videamur, ſtatui, Deo præſtante, in hujus Opuſculi fine etiam eorumdem librorum, tractatuum, & Epiſtolarum (*m*) indiculum adjungere: Quo

(*l*) In Lugd. edit. ac a Lov. hîc omiſſum eſt *verbi*. Apud Ulimerium legitur *veritatis & verbi Dei*. Cod. Regin. 1025. ne *veritate verbi*.

(*m*) Indiculum, quem hîc in Vita promiſit Poſſidius ſui promiſſi non immemor poſt vitam edidit, in quo S. Doct. recenſuit opera. Qua diligentia & induſtria occurrit tum cenſorum temerariis judiciis, ne lectores fluctuarent incerti de immortalis ingenii operibus, tum ne ſancto Viro ignobiles tribuerentur fætus. Quem olim ab omnibus ardenter exoptatum, primus invenit in Villarienſis Abbatiæ Venerandæ antiquitatis Codicibus, ac publica donavit

Quo lecto qui magis Dei veritatem, quàm temporales amant divitias, sibi quisque quod voluerit ad legendum & cognoscendum eligat, & id ad describendum, vel de Bibliotheca Hipponensis Ecclesiæ petat, ubi emendatiora exemplaria fortè poterunt inveniri, vel unde valuerit, inquirat, & inventa describat & habeat, & petenti ad describendum, sine invidia etiam ipse tribuat.

Indiculus eorumdē operum in fine adjungend.

Emendatiora exemplaria operum August. in Hippon. Eccl.

CAPUT XIX.

In caussis audiendis quomodo se gesserit Augustinus.

Secundùm Apostoli quoque sententiàm, dicentis: *Audet quisquam vestrûm adversùs alterum negotium habens judicari ab iniquis, & non apud Sanctos? An nescitis quia sancti Mundum judicabunt? Et si in vobis judicatur mundus, indigni estis* (n) *ju-*

Ep. 1. ad Corinth. cap. 6.

navit luce Joannes Ulimerius Canonicus Regularis Lovaniensis. Indiculum omisimus, quia vita edita est, magis ut morum ædificationi inserviret, quàm quæstionum solutionibus: Loco autem illius exhibemus auream, ac omni commendatione dignam Epistolam S. Doctoris ad Honoratum, quam Vitæ inseruit Possidius, & ab editoribus verò non reperitur nisi tantùm in duobus Codicibus Reginæ sub num. 1025. & 541. ex quinque, quibus usi sumus.

(*n*) *judiciorum minimorum ? Neſcitis quia Angelos judicabimus , nedum ſecularia ? Secularia igitur judicia ſi habueritis inter vos, eos qui contemtibiles ſunt in Eccesia, hos collocate ad judicandum* (o). *Ad reverentiam vobis loquor : ſic non eſt inter vos quisquam ſapiens, qui poſſit inter Fratrem ſuum dijudicare ; ſed Frater cum Fratre* (*p*) *dijudicatur, & hoc apud infideles.* Interpellatus ergo a Chriſtianis, vel a cujusque Sectæ hominibus, cauſſas audiebat diligenter ac piè, cujusdam ſententiam ante oculos habens, dicentis ſe malle inter incognitos, quàm inter amicos cauſſas audire : Eo quòd de incognitis, pro quo (*q*) arbitrâ æquitate judicaretur, amicum poſſet adquirere, de amicis verò unum eſſet, contra quem ſententia proferretur, perditurus

(*n*) Foſſatenſis Mſſ. *minorum*. Cod. Reg. 541. *Judicio minimorum ;* & paullò poſt ita legit : *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis ſecularia.*

(*o*) Germanenſis Codex, & Reginæ 1025. non habent *ad judicandum :* Nec Græcus textus præfert, ut rectè monent PP. S. Mauri.

(*p*) Lovanienſes *judicio contendit*. Codex Reginæ 1025. loco *dijudicatur* legit etiam *contendit*.

(*q*) Rectè ex Veteribus Codicibus reſtituerunt Patres ſæpe laudati *arbitra*, quum ante editi legerent *arbitrata*.

turus. Et eas aliquando usque (r) ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans, semper tamen noscebat, & (s) dirimebat: Intendens

(r) Cod. Reg. 541. non habet *aliquando* sed absolutè legit, *& eas usque in horam refectionis.*

(s) Ex hoc Augustini exemplo liquet non indignum esse Ecclesiæ proceribus caussis litigantium audiendis & decidendis incumbere; nec pietati, aut divinarum rerum contemplationi officere hominibus litigantibus pro terrenis possessiunculis, flagitantibusque judicium, hoc præberi ab Episcopo. At quoniam nullibi Apostolorum quispiam judex sedit hominum, aut divisor terminorum, vel distributor terrarum: propterea summa cum prudentia & cautela quisque Præsulum erga temporalia negotia se gerere debet, ne fines invadat aliorum, ac falcem suam in alienam extendat messem; quia ut rectè ait S. Bernardus lib. 1. de consid. cap. 6. num. 7. *Habent hæc infima & terrena Judices suos, reges & Principes terræ,* quum Apostolici Viri potioribus melioribusque sint destinati. Unde aliud est, quemadmodum S. Vir monet cap. sequenti num. 8. incidenter excurrere in terrena, caussa quidem urgente: Aliud ultro incumbere illis, tanquam magnis, dignisque tali & talium intentione, rebus. Quapropter Augustinus noster, teste Possidio in hujus capitis fine, *hanc suam a melioribus rebus occupationem tamquam angariam deputabat, suavem semper habens de iis, quæ Dei sunt, vel alloquutionem vel colloquutionem fraternæ ac domesticæ familiaritatis.* Quæ autem sint ab Ecclesiastico Judice cautè servanda; adeo eleganter, prudenterque exponit numquam

in eis Christianorum momenta animorum, quantùm quisque vel in fide bonisque moribus proficeret, vel ab iis deficeret; atque compertis rerum opportu-

quam satis laudatus Bernardus, ut culpa esset hîc non enumerare illa breviter. Primò tollendæ sunt Advocatorum fraudes & abusus: „ Agitentur caussæ, *sic S. Pontificem Eugenium III. alloquitur lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 13., „ sed sicut oportet. Nam is modus, qui frequentatur, exsecrabilis plane; & qui non „ dico Ecclesiam, sed nec forum deceat. Miror namque quemadmodum Religiosæ aures „ tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes „ Advocatorum, & pugnas verborum, quæ „ magis ad subversionem, quàm ad inventionem proficiunt veritatis. Corrige pravum „ morem, & præcide linguas vaniloquas, & „ labia dolosa claude. „ Secundò, caussæ breviter decidantur. „ Nihil ita absque labore, *ait idem*, manifestam facit veritatem, „ ut brevis & pura narratio. Ergo illas quas „ ad te necesse erit intrare caussas (neque „ enim omnes necesse erit) diligenter velim, „ sed breviter decidere assuescas, frustratoriasque, & venatorias præcidere dilationes. Tertiò, caussæ pauperum præsertim discutiendæ. „ Caussa viduæ, *inquit*, intret ad te, „ caussa pauperis, & ejus qui non habet quod „ det. „ Quartò, ut quàm plures caussæ indignæ audientia judicentur: „ Quid enim opus est, sic Optimus vir, admittere illos, „ quorum peccata manifesta sunt præcedentia „ ad judicium? Tanta est impudentia nonnullorum, ut quum manifestæ ambitionis „ prurigine scateat tota facies caussæ eorum, „ non

portunitatibus, Divinæ Legis veritatem (*t*) partes docebat, eamque illis inculcabat, & eas quo adipiscerentur vitam æternam edocebat, & admonebat, nihil aliud quærens ab iis, quibus ad hoc vacabat, nisi tantùm obedientiam, & devotionem Christianam; quæ & Deo debetur & hominibus: peccantes coram omnibus arguens, ut ceteri timorem haberent: & faciebant hoc tanquam speculator a Domino constitutus domui Israel, prædicans verbum atque instans opportunè, importunè, arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate, & doctrina; præcipuéque operam dans instruere eos, qui essent idonei, & alios docere. Rogatus quoque a nonnullis in eorum temporalibus caussis, epistolas ad diversos dabat. Sed hanc suam a melioribus rebus occupationem tamquam angariam deputabat, suavem semper habens de iis, quæ Dei sunt, vel alloquutionem vel colloquutionem Fraternæ ac domesticæ familiaritatis.

Partes facta opportunitat. docet, quæ ad æternam Vitam spectant.

2. *Timoth.* 5. *v.* 20.

2. *Timoth.* 4. *v.* 2.

„ non erubescant audientiam flagitare, publi-
„ cantes semetipsos ad multorum conscientias,
„ in quo vel suæ solius satis poterant con-
„ fundi judicio.

(*t*) Lugdun. Edit. & Codex Reginæ 541. *veritate.*

CAPUT XX.

Pro reis quomodo interceſſerit.

Novimus quoque eum a ſuis chariſſimis litterarum interceſſum apud Seculi poteſtates poſtulatum non dediſſe, dicentem cujusdam ſapientis ſervandam eſſe ſententiam, de quo ſcriptum eſſet, quòd multa ſuæ famæ contemplatione amicis non præſtitiſſet: & illud nihilo minùs ſuum addens, quoniam plerumque poteſtas quæ (*u*) præſtat, premit. Quum verò intercedendum eſſe rogatus videbat, tam id honeſtè ac temperatè agebat, ut non ſolùm onerofus, aut moleſtus non videretur, verùm etiam mirabilis exſiſteret. Nam dum exortâ neceſſitate ſuo more apud quemdam Africæ Vicarium, Macedonium nomine, pro ſupplici litteris interveniret, atque ille paruiſſet, hoc modo reſcriptum miſit: „ Miro modo „ afficior ſapientiâ tuâ, & in illis quæ „ ediditi, & in iis quæ interveniens „ pro ſollicitis mittere non gravaris. „ Nam & illa tantùm habent (*x*) acu„ minis, ſcientiæ, Sanctitatis, ut nihil „ ſuprà

Macedonius in Ep. quæ eſt inter Auguſt. 254. tom. 2. noviſ. Ed.

(*u*) Cod. unus *poteſtas quæ petit, premit.* Alter verò Cod. *poteſtas quæ petitur, premit*, ut in margine a Lovanienſibus legitur etiam.

(*x*) Mſſ. unus *acumen ſcientiæ & Sanctitatis.*

„ ſuprà ſit; & hæc tantùm verecundiæ,
„ ut; niſi faciam, quod mandas, culpam penes me remanere, non in negotio eſſe, dijudicem, domine meritò venerabilis & ſuſcipiende pater. Non enim inſtas, quod plerique homines iſtius loci faciunt, ut, quodcumque ſollicitus petitor voluerit, extorqueas; Sed quod tibi a Judice tot curis obſtricto petibile viſum fuerit, admones ſubſerviente verecundiâ, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia eſt. Proinde ſtatim commendatis effectum deſiderii tribui: Nam ſperandi viam ante patefeceram.

CAPUT XXI.

Conciliis quo animo intereſſe ſoleret. In ordinandis Sacerdotibus major conſenſus, & Eccleſiæ conſuetudo ſequenda.

Sanctorum Concilia Sacerdotum per diverſas Provincias celebrata, quum potuit, frequentavit; non in eis quæ ſua ſunt, ſed quæ JEſu Chriſti quærens; ut vel fides ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ inviolata maneret, vel nonnulli Sacerdotes & Clerici, ſive per fas, ſive per nefas excommunicati, vel abſolverentur vel abjicerentur. In ordinandis

Sacerdotibus, & Clericis consensum (z) majorem Christianorum, & consuesuetudinem Ecclesiæ sequendam arbitrabatur.

CAPUT

(z) Mss. tres nempe Fossatensis, Vedastinus, & Cisterciensis ferunt *majorum*, quemadmodum etiam Lovanienses ad marginem notant; quibus adstipulatur Cod Vat. 1190. dum ita legit: *Consensum majorum Christianorum ex consuetudine Ecclesiæ sequendum arbitrabatur*. Retinuimus in textu lectionem Lovaniensium, & PP. S. Mauri; quia, ut rectè isti ex S. Cypriano observant; *Ea ordinatio est justa, & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata*, ut loquitur in Epist. ad Clerum & plebem Hispaniarum, quæ est 67. in ord. nov. edit. & ibidem Sabini Episcopi ordinationem laudat *de universæ Fraternitatis suffragio factam*. Et sane Possidius hîc alludit ad Can. XII. Nicæni Concilii *de sequenda majori numero in electione*; quia, ut ait S. Concilium, *secundum Ecclesiasticam regulam facto decreto si duo aliqui aut tres per contentionem suam contradixerint, obtineat sententia plurimorum*. Ex Cod. Can. tom. 2. Oper. D. Leonis. Hujus autem laudabilis antiquitus consuetudinis rationem præbet S. Leo in Epist. ad Episcopos per Viennensem Provinciam constitutos, dum arguit Hilarium Arelatensem in caussa Projecti Episcopi: Ut scilicet *nullius scandali relinquatur occasio, quum per pacem, & Deo placitam concordiam consonis omnium studiis, qui Doctor pacis futurus est, ordinatur*; ut signanter loquitur cap. 4. laud. Epist. quæ est 10. in ord. noviss. edit.

CAPUT XXII.

In vestitu & victu qualis fuerit Augustinus.

Vestes ejus, & calceamenta, vel lectualia ex moderato, & competenti habitu erant, nec nitida nimiùm, nec abjecta plurimùm: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere; ex utroque non quæ JEsu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes: at iste, (*a*) ut dixi, medium

G 5 tene-

(*a*) Quemadmodum suspicor prudentem hunc vivendi tenorem a Cypriano didicisse Augustinum: Ita verosimile mihi apparet hæc quæ de Augustino profert Possidius a Pontio in illius S. Martyris vita fuisse mutuatum. Sed ut rei utriusque lector valeat depromere judicium hîc placuit Pontii exhibere verba, dum Cypriani mores num. 6. nativis exprimit coloribus. *Gravis*, inquit, *vultus & lætus; nec severitas, nec comitas nimia; sed admixta utrinque temperies: ut esset ambigere vereri plus, an diligi mereretur; nisi quod & vereri & diligi merebatur*. Sed nec cultus fuit dispar a vultu, temperatus & ipse de medio. *Non illum superbia secularis inflaverat*, nec *tamen prorsus affectata penuria sordidarat: quia hoc vestitus genus a jactantia minus non est, quàm ostentata taliter ambitiosa frugalitas*. Hinc S. Hieron. in Ep. 1. ad Nepotianum cautè illi præscribit, ut *ornatus ac sordes pari modo fugiat; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet*. Qua sobria rerum moderatione ita prudenter usus

tenebat, neque in dexteram, neque in ſiniſtram declinans. Menſâ uſus eſt frugali, & parcâ, quæ quidem inter olera, & legumina, etiam carnes aliquando propter hoſpites, vel quoſque
1. Timoth. 4. v. 4. infirmiores, ſemper autem vinum (b) habebat. Quia noverat, & docebat, ut

uſus eſt S. Honorat. primus Lirinenſis cœnobii conditor, ac poſtea ann. Ch. 426. in locum occiſi Patrocli Arelatenſis Archiepiſcopus effectus; ut propterea hæc poſterorum memoriæ conſignanda cenſuerit S. Hilarius Arelatenſis cap. 8. Vit. num. 37. *Illud*, inquit, *ſtupendum quod adoleſcentiæ tuæ robur perpetuo abſtinentiæ rigore tenuatum, & in illam, quam vidimus, aſpectus licet decore ſervato exilitatem redactum, crux utique quotidiana conſumpſit*: Quam tamen ſemper ſine ulla notabili ſuperſtitione ſervaſti, omnes ſemper nimietates, *& cognatum nimietatibus gloriæ fugiens appetitum*.

(b) Ulimerius ſic legit: *Propter hoſpites habebat, vel quoſque infirmiores. Semper autem vinum bibebat, quamvis modicè & temperanter, quia noverat.* Lovan. verò edit. ita: *Propter hoſpites vel quoſque infirmiores continebat. Semper autem vinum habebat, quia noverat.* Attamen omnes Mſſ. quos viderunt PP. S. Mauri carent verbo *continebat*, uno fortè excepto Vedaſtino, qui poſtea loco *vinum habebat*, præfert *vinum bibebat;* ut etiam legit Cod. Reg. 1025. Codex verò 541. *vel quoſque infirmiores geſtabat. Semper autem vino utebatur quia &c.* At quocumque modo legatur ex his quæ in hoc capite refert Poſſidius, Auguſtini convictor per annos 40. Petri Petiti

ut Apoſtolus dicit: Quòd *omnis creatura Dei bona ſit, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Et, ut idem Auguſtinus Sanctus in ſuis Confeſſionum libris poſuit, dicens: Non ego immunditiam obſonii timeo, ſed immunditiam cupiditatis.
„ Scio Noë omne genus carnis, quod *Lib.* 10.
„ cibo eſſet, manducare permiſſum; *Conf. cap.*
„ Eliam cibo carnis refectum. Joan- 31.
„ nem mirabili abſtinentiâ præditum,
„ animalibus, hoc eſt, locuſtis in eſcam
„ cedentibus, non fuiſſe pollutum:
que

Petiti refellit calumnia, qui in diſſert. de Homeri nepenthe cap. 15. aſſeriut *Auguſtinum non invalidum potorem fuiſſe.* Et in rei confirmationem abutitur loco lib. 10. Confeſſ. cap. 31. ubi ſupplex divinam implorat Clementiam propter *crapulam*, inquit, *quæ nonnumquam ſubrepit ſervo tuo.* Ad diligenter lector advertat hallucinatum fuiſſe hominem circa crapulæ naturam. Nam hæc non eſt circa vinum, in quo eſt *ebrietas, quam longè a ſe* eodem in loco teſtatur fuiſſe, ſed eſt circa immoderantiam cibi, quæ ſtomachi noxam & indigeriem creat. Unde idem S. Doct. lib. 4. prioris operis adv. Julianum cap. 14. num. 73. ait. *Aliquid nobis dicere videmur, quia dicimus; Nec vinum ebrietas, nec cibum condemnet crapula, nec concupiſcentiam infamet obſcœnitas; quando nec ebrietas, nec crapula, &c.* At non graviorem crapulam ſubrepſiſſe Auguſtino certum eſt, ſed tantum leviorem, quæ eſt quando *in modo neceſſitatis congruo aliquis fallitur.*

„ ſcio & Eſaü lenticulæ concupiſcentiâ „ deceptum ; & David propter aquæ „ deſiderium a ſe ipſo reprehenſum ; „ & regem noſtrum, non de carne, „ ſed de pane (*c*) eſſe tentatum. Ideo- „ que & Populus in eremo, non quia „ carnes deſideravit, ſed quia eſcæ „ deſiderio contra Deum murmuravit, „ meruit improbari. „ De vino autem ſumendo Apoſtoli exſtat ſententia ad Timotheum ſcribentis, ac dicentis : 1. *Timoth.* 5. *v.* 23. *Noli usque adhuc aquam bibere, ſed vino modico utere propter ſtomachum & frequentes tuas infirmitates.* Cochlearibus tantùm argenteis utens, çetera vaſa quibus menſæ inferebantur cibi, vel teſtea, vel lignea vel marmorea fuerunt : non tamen neceſſitatis inopiâ, ſed propoſito voluntatis. Sed & hoſpitalitatem ſemper exhibuit. Et in ipſa menſa magis lectionem vel diſputationem, quàm epulationem potationemque diligebat. Et contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis in ea ſcriptum ita habebat :

Quisquis amat dictis abſentum rodere vitam,
(*d*) *Hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi.*

Et

(*c*) Mſſ. duo *ſed de pane tantum.*

(*d*) Tres Mſſ. *Hac menſa indignam noverit eſſe ſuam.* Ulimer. *Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi* Cod. Reg. 541. *Hanc menſem indignè noverit eſſe ſuam.*

Et ideo omnem convivam a superfluis, & noxiis fabulis (*e*) & detractionibus

(*e*) In quibusdam Mss. deest *& detractionibus*. Ut noxiæ, otiosæque vitentur confabulationes in mensa, a S. Viris institutum fuisse, ut sacra semper adhiberetur lectio, locuples testis & Cassianus lib. 4. de Institutis renuntiantium cap. 17. *Illud autem*, inquit, *ut reficientibus Fratribus sacræ lectiones in cœnobiis recitentur, non de typo Ægyptiorum processisse, sed de Cappadocum noverimus. Quos nulli dubium est* non tam spiritualis exercitionis caussa, quàm compescendæ superfluæ, otiosæque confabulationis gratia, & maxime contentionum, *quæ plerumque solent in conviviis generari, hoc statuere voluisse, videntes eas aliter apud se non posse cohiberi.* Unde in Conc. Africano apud Burchardum, & in Concil. Toletan. 3. cap. 7. præcipitur; *Pro reverentia Dei & Sacerdotum ut quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni Sacerdotali convivio lectio divinarum scripturarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.* Hinc satis dici non potest quantâ pietatis facundiæque acrimonia Bernardus quosdam sui ævi degeneres Monachos arguat in Apol. ad Guillelmum S. Theodorici Abbatem: *Nihil de scripturis*, inquit, *nihil de salute agitur animarum: sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantùm fauces dapibus, tantùm aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur &c.* Ex verbis verò Cassiani supra allatis apparet, Monachos Cappadoces aliis exemplum præbuisse,

ut

nibus se se abstinere debere admonebat. Nam & quosdam suos familiarissimos Coëpiscopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit, commotus ut diceret; aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego & alii, qui illi mensæ interfuimus, experti sumus.

CAPUT XXIII.

In usu redituum Ecclesiasticorum qualis.

Compauperum (*f*) verò semper memor erat, eisque inde erogabat, unde & sibi, suisque omnibus secum habi-

ut sacra condiretur lectione mensa; quem ritum didicere ipsi a Basilio Cæsareæ in Cappadocia Episcopo. Vide Baronium ad ann. Chr. 363. sub finem. Unde quemadmodum Basilio hæc laus debetur, quia primus in Oriente laudabilem invenit consuetudinem: Ita parem promeruere Augustinus noster, qui in Africanis Ecclesiis aut instituit vel firmavit eadem, & Hilarius Arelatensis, de quo signanter ait ejus Vitæ Scriptor Honoratus Massiliensis cap. 12. *Cibum sine lectione non sumpsit. Ab eodem in Civitatibus* (intellige Galliæ) *ista est invecta*, vel, ut legit Lirinensis Codex inventa *primitùs consuetudo.*

(*f*) Sic Mss. at editi & Cod. unus Vatic. *Pauperum.*

habitantibus, hoc eſt, vel, ex redditibus poſſeſſionum Eccleſiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè (ut adſolet) de poſſeſſionibus ipſis invidia Clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle ſe ex Collationibus magis plebis Dei vivere, quàm illarum poſſeſſionum curam vel gubernationem pati; & paratum ſe eſſe illis cedere, ut eo modo omnes Dei ſervi & miniſtri viverent, quo in vetere Teſtamento leguntur, Altari deſervientes de eodem (g) comparticipari. Sed nunquam id Laici ſuſcipere voluerunt.

Vid. ſerm. 355. & 356.

2. *Cor.* 9. *v.* 13.

CAPUT XXIV.

In re domeſtica qualis.

Domûs Eccleſiæ curam omnemque ſubſtantiam ad vices valentioribus Clericis delegabat & credebat. Numquam clavem, nunquam (*h*) anulum in

(*g*) In Mſſ. compartiri.

(*h*) Hæc profert Poſſidius, ut oſtendat Auguſtino nihil peculiare fuiſſe, quod ſuo poſſet communire ſignaculo. Veteres enim ad ſeras domorum, ſcriniorum, arcularum vice clavium, obſerandas, adhibebant anulos; de quibus conſulendi ſunt Durand. lib. 2. de ritib. Eccl. cap. 9., & Cæl. Rhod. lib. 6. lect. antiq. cap. 12. Imò Plinius tradit uſos fuiſſe veteres anulis ad claves cautiùs cuſtodiendas: Sic enim

in manu habens: Sed ab eisdem domûs præpoſitis cuncta, & accepta, & erogata notabantur: Quæ anno completo (*i*) eidem recitabantur, quo ſciretur quantum acceptum, quantumque diſpen-

enim loquitur lib. 33. cap. 1. *quæ fuit*, inquit, *illa priſcorum vita, qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur? At nunc cibi quoque ac potus* anulo vindicantur a rapina; & claves quoque ipſas ſignaſſe non eſt ſatis; *gravatis ſomno, aut morientibus anuli detrahuntur.* At Poſſidii noſtri locum mirificè illuſtrant Caſſiani hæc verba verba lib. 4. de Inſtitutis renuntiantium cap. 15. ubi deplorat in illius ævi Monachis immodicum habendi ſtudium, præ comparatione Ægyptiorum veterum, apud quos magno ducebatur crimine, ſi aliquid vel viliſſimum quiſquam ſuum diceret: *Ad hæc nos miſerabiles quid dicemus:* Sic Optimus Vir, *qui in cœnobiis commorantes, ac ſub Abbatis cura, & ſollicitudine conſtituti peculiares circumferimus claves, omnique Profeſſionis noſtræ verecundia, & confuſione calcata,* etiam anulos quibus recondita præſignemus, in digitis palam geſtare nos non pudet, *quibus non ſolum ciſtullæ, vel ſportæ, ſed ne arcæ quidem, vel armaria, ad ea quæ congerimus, vel quæ egreſſi de Seculo reſervavimus, condenda ſufficiunt.* Clemens etiam Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 11. obſervat in ſponſalibus loco arrhæ anulum datum, ab uxore ſemper in manibus geſtandum, non tam ornatus cauſsâ, quàm ut obſignaret anulo, quæ domi ſunt. Decerpta eſt hæc obſervatio ex Comment. D. Alcardi Gazæi Ord. S. Bened. ad Caſſiani locum ſupra laudatum.

(*i*) Cod. Vatic. 1188. *eodem præſente.*

ſpenſatum fuiſſe, vel (*k*) quid diſpenſandum remanſiſſet; & in multis titulis magis illius præpoſiti domûs fidem ſequens, (*l*) quàm probatum manifeſtatumque cognoſcens. Domum, agrum, ſeu villam numquam emere voluit. Verùm ſi fortè Eccleſiæ a quoquam ſponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non reſpuebat, ſed ſuſcipi jubebat. Nam & aliquas eum hereditates recuſaſſe novimus, non; quia pauperibus inutiles eſſe poſſent, ſed quoniam juſtum, & æquum eſſe videbat, ut a mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis poſſiderentur, quibus ea deficientes dimittere noluerunt. Quidam etiam (*m*) ex hono-

Donata & legata Eccleſ. quædam ſuſcipiebat, aut recuſabat.

(*k*) Sic Mſſ. Editi verò, & Cod. unus *vel quidquid indiſpenſatum, vel indiſpenſandum remanſiſſet.*

(*l*) Cod. duo *quem probatum manifeſtumque habebat.*

(*m*) Quidam etiam ex Honoratis Hipponenſium. Magnus erat Honoratorum numerus in Africa; nam captâ Carthagine a Genſerico Vandalorum Rege ann. Chr. 439. inquit Victor Vitenſis lib. 1. Hiſtor. perſec. Vandal. cap. 5. *Senatorum, atque honoratorum multitudinem, primò exilio crudeli contrivit, poſtea transmarinas in partes projecit.* *Tres* autem obſervante Gangio in Gloſſario, *Honoratorum gradus occurrunt apud auctores, Illuſtrium, Clariſſimorum, & Spectabilium,* quem

 conſu-

honoratis Hipponenſium apud Carthaginem vivens Eccleſiæ Hipponenſi poſſeſſionem donare voluit, & confectas tabulas, ſibi uſu fructu retento, ultro eidem ſanctæ memoriæ Auguſtino miſit: Cujus ille oblationem libenter accepit, congratulans ei quòd æternæ ſuæ memor eſſet ſalutis. Verùm poſt aliquot annos nobis fortè cum eodem cominus conſtitutis, ecce ille donator litteras per ſuum filium mittens, rogavit; ut illæ donationum tabulæ ſuo redderentur filio; pauperibus verò errogandos direxit ſolidos centum: Quo ille Sanctus cognito, ingemuit, hominem vel finxiſſe donationem, vel eum de bono Opere pœnituiſſe, & quanta potuit Deo ſuggerente cordi ejus (*n*) cum dolore animi (*o*) de eadem defraudatione dixit, in illius ſcilicet increpationem, & correctionem: & tabulas quas ille ſponte miſerat, nec deſideratas, nec exactas, confeſtim reddidit, pecuniamque illam reſpuit; atque reſcriptis eundem, ſicut oportuit, & arguit & corrupuit, admonens

conſulat lector ſi plura deſiderat; & ſatis hîc ſit obſervare generaliter: Honoratos dici eos, qui res civiles in Urbe, vel in Provinciis geſſerant. Vide Doctiſſ. Valeſium in not. ad lib. 14. Ammiani Marcellini.

(*n*) Editi *condolenti animo.*

(*o*) Reginæ Codex 541. *de eadem defraudatione*: Pariſ. Edit. ex eadem refragatione.

monens: ut sua simulatione, vel iniquitate cum pœnitentiæ humilitate Deo satisfaceret, ne cum gravi delicto de Seculo exiret.

A rerum temporalium curis liberum semper animum habere volebat.

Frequentiùs quoque dicebat, magis securiùs, & tutiùs Ecclesiam legata (*p*) a defunctis dimissa debere suscipere, quàm hereditates fortè sollicitas, & damnosas; ipsaque legata magis offerenda esse, quàm exigenda. Commendata verò quæque ipse non suscipiebat, sed volentes suscipere Clericos non prohibebat. In iis quoque quæ Ecclesiæ habebat, & possidebat, intentus amore vel implicatus (*q*) non erat: sed majoribus magis, & spiritualibus suspensus, & inhærens rebus, vix aliquando seipsum ad illa temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat, & deponebat. Quibus ille dispositis & ordinatis, tamquam a rebus mordacibus, ac molestis, animi recursum ad interiora mentis & superiora faciebat; quò vel de inveniendis divinis rebus cogitaret, aut certè ex jam dictatis atque transcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die labo-

H 2

(*p*) In Cod. 1190. deest *a defunctis*. Cod. 541. sic legit: *Legata antea defuncti debere suscipere, quàm hereditates fortè sollicitas, & deminoratas.*

(*q*) Hìc editis addidere *cupiditate*: Sed abest a MSſ. Editi, *magis spiritualibus* omisso, *&*

laborans, & in nocte lucubrans. Et erat tanquam illa religiosissima Maria typum gestans supernæ Ecclesiæ, de qua scriptum est, quòd sederet ad pedes Domini, atque intenta ejus verbum audiret: de qua soror conquesta, quòd ab eadem circà multum ministerium occupata non adjuvaretur, audivit: *Martha, Martha, meliorem partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea.* Nam fabricarum novarum nunquam studium habuit, devitans in eis implicationem sui animi, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia temporali: non tamen illa volentes, & ædificantes prohibebat, nisi tantùm immoderatos: Interea dum Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denuntiabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Nam de vasis Dominicis, propter captivos, & quàm (*r*) plurimos indigentes, frangi & conflari jubebat, & indigentibus dispensari. Quod non commemorassem, (*s*) nisi contra carnalem

Luc. 10. *v.* 39.

(*r*) Tres Mss. *& plurimum indigentes.* Unus ex Floriacensibus, & Cod. Vatic. 1191. *Nam, & vasa dominica quàm plurima frangi, & conflari jubebat.*

(*s*) Ecclesiæ res, & ornamenta necessitate indigentium urgente, rectissimè dividi, ac ad pauperes solandos tribui debere, nemo ambiget ex illis, qui hæc Juliani Pomerii probè intel-

nalem ſenſum quorumdam fieri pervi-
derem. Et hoc ipſum etiam venerabilis
memoriæ Ambroſius in talibus neceſſi-

intelligunt, bona Eccleſiæ nihil eſſe aliud, *niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*, ut loquitur in lib. 2. cap. 9. num. 2. de Vit. contemplat. Quod præclarè adimpletur ab illis, qui non ut poſſeſſores, ſed ut procuratores facultates Eccleſiæ poſſident; hinc non eas vindicant in uſus ſuos tamquam proprias, ſed ut commendatas pauperibus dividunt; in quantum non habendi cupiditate facultates ſacras ambiunt, ſed pietate ſubveniendi ſuſcipiunt. Sic Auguſtinus noſter, quum Eccleſiæ eſſet Præpoſitus, nihil proprii habens, Eccleſiæ facultates, ut communes tenuit, omnium Eccleſiæ rerum factus diſpenſator; & quoniam laudatus Pomerius rem illuſtrat exemplo Paulini, & Hilarii, piaculum eſſet hîc aurea ejus verba omittere: „ Non „ enim propriæ ſunt, *inquit*, ſed communes „ Eccleſiæ facultates; & ideo quiſquis om- „ nibus, quæ habuit, dimiſſis aut venditis fit „ rei ſuæ contemptor, quum præpoſitus fue- „ rit factus Eccleſiæ, omnium quæ habet „ Eccleſia, efficitur diſpenſator. Sanctus Pau- „ linus ingentia prædia, quæ fuerunt ſua, „ vendita pauperibus erogavit; ſed quum „ poſtea factus eſſet Epiſcopus, non contem- „ ſit Eccleſiæ facultates, ſed fideliſſime diſpen- „ ſavit. Quid S. Hilarius? Nonne, & „ ipſe omnia bona ſua, aut parentibus reli- „ quit, aut vendita pauperibus erogavit? „ Is tamen quum merito perfectionis ſuæ fie- „ ret Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopus, quod „ illa tunc habebat Eccleſia, non ſolùm poſſe-

in cap. 39. Apologiæ dum ait: *Etiam ſi quod arcæ genus eſt, non de ordinaria ſumma, quaſi redemptæ religionis congregatur:* A poſteriori verò in Pſalm. 63. *Quid eſt*, inquit, *gazophylacium? Arca Dei ubi colligebantur ea, quæ ad indigentiam Servorum Dei mittebantur.* Cyprianus verò corbonam appellat, in lib. de opere & eleemoſ. cap. 5. dicens: *Dominicum celebrare te credis, qui corbonam non reſpicis.* Ad Paulinus in declamat. de Gazophylacio, in qua eloquenter, eruditè, ac piè beneficentiam in pauperes hortatur, menſam vocat dicens: *Non patiamur* menſam Domini *& nobis vocuam, & egentibus inanem relinqui; & viſui tantùm ſtare, non uſui; ne de negligentia noſtra eſurientibus expreſſi gemitus in nos retorqueantur.* Et iterum paullo poſt innuens locum ubi gazophylacium repoſitum erat, ait: *Reputemus nobiscum cur hæc menſa*, & quo auctore propoſita ſit in atriis domus Domini, in conſpectu omnis populi ejus, *quod quàm maximè conſiderandum eſt: Cui bono, qua gratia, in quem fructum locata perniteat & pateat.* Secretarium verò quum multipliciter apud Eccleſiaſticos Scriptores accipiatur, ſuſpicor hîc a Poſſidio intelligi pro Conclavi, in quo vaſa ſacra & alia ad Sacrificium ſpectantia, omnisque ad templi cultum & ornatum pertinens ſuppellex aſſervabantur. Fortè hoc ſecretarium in Can. 93. IV. Conc. Carth. appellatur Sacrarium, dum ait; ut *oblationes diſſidentium Fratrum, neque in Sacrario neque in Gazophylacio recipiantur.* Cod. Vatic. 1190. legit *in Gazophylacio & Sacrario.* Conſulat lector auream S. Hieronymi Epiſtolam ad Damaſum Papam de oblationibus Altaris & Eleemoſynis a Presbyteris & non a Laicis vindicandis; cujus exordium obſervatione dignum hîc recitare

fidelibus gazophylacio (*u*) & ſecretario, unde altari neceſſaria inferuntur, aliquando in Eccleſia loquens admonebat: H 4 Quod

„ adoleſcentulæ, vel pueruli, vel infantes ab „ idolorum contagiis, quibus mortis metu in„ quinabantur; quam cauſſam nos, & ſi non „ ſine ratione aliquando geſſimus: tamen ita „ in populo proſequuti ſumus, ut confitere„ mur, multóque fuiſſe commodius adſtruere„ mus, ut animas Domino, quàm aurum ſer„ varemus. „ Et paullo poſt ſoluit murmur quorumdam, quaſi ex hac liberalitate templis Dei ornatus deeſſe poſſit: „ Aurum, *inquit* „ *S. Vir*, Sacramenta non quærunt, neque „ auro placent, quæ auro non emuntur. „ Ornatus Sacramentorum, redemptio capti„ vorum eſt. Et verè illa ſunt vaſa pretioſa, „ quæ redimunt animas a morte. Ille verè „ eſt theſaurus domini, qui operatur quod „ ſanguis ejus operatus eſt. Tunc vas do„ minici ſanguinis agnoſcunt, quum in utro„ que viderit redemptionem; ut calix ab ho„ ſte redimat, quos ſanguis a peccato rede„ mit. „ Tribus autem præcipuè de cauſſis dicit Ambroſius quod vaſa Eccleſiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet: Ut ſcilicet pauperibus erogetur ad vitam, ut captivi redimantur, & ut humandis fidelium reliquiis ſpatia dilatentur, quemadmodum in capitis fine concludit.

(*u*) Notum eſt aliud antiquis fuiſſe gazophylacium, aliud ſecretarium. Prius erat locus in atriis templorum, ubi eleemoſinæ pauperibus diſpenſandæ reponebantur; ac diverſimode Patrum voce appellatum eſt. Nam a Tertulliano & Auguſtino dicitur *arca*: a priori in

in cap. 39. Apologiæ dum ait: *Etiam ſi quod arcæ genus eſt, non de ordinaria ſumma, quaſi redemptæ religionis congregatur:* A poſteriori verò in Pſalm. 63. *Quid eſt*, inquit, *gazophylacium? Arca Dei ubi colligebantur ea, quæ ad indigentiam Servorum Dei mittebantur.* Cyprianus verò corbonam appellat, in lib. de opere & eleemoſ. cap. 5. dicens: *Dominicum celebrare te credis, qui corbonam non reſpicis.* Ad Paulinus in declamat. de Gazophylacio, in qua eloquenter, eruditè, ac piè beneficentiam in pauperes hortatur, menſam vocat dicens: *Non patiamur* menſam Domini *& nobis vocuam, & egentibus inanem relinqui; & viſui tantùm ſtare, non uſui; ne de negligentia noſtra eſurientibus expreſſi gemitus in nos retorqueantur.* Et iterum paullo poſt innuens locum ubi gazophylacium repoſitum erat, ait: *Reputemus nobiscum cur hæc menſa*, & quo auctore propoſita ſit in atriis domus Domini, in conſpectu omnis populi ejus, *quod quàm maximè conſiderandum eſt: Cui bono, qua gratia, in quem fructum locata perniteat & pateat.* Secretarium verò quum multipliciter apud Eccleſiaſticos Scriptores accipiatur, ſuſpicor hîc a Poſſidio intelligi pro Conclavi, in quo vaſa ſacra & alia ad Sacrificium ſpectantia, omniſque ad templi cultum & ornatum pertinens ſuppellex aſſervabantur. Fortè hoc ſecretarium in Can. 93. IV. Conc. Carth. appellatur Sacrarium, dum ait; ut *oblationes diſſidentium Fratrum, neque in Sacrario neque in Gazophylacio recipiantur.* Cod. Vatic. 1190. legit *in Gazophylacio & Sacrario.* Conſulat lector auream S. Hieronymi Epiſtolam ad Damaſum Papam de oblationibus Altaris & Eleemoſynis a Presbyteris & non a Laicis vindicandis; cujus exordium obſervatione dignum hîc recitare

Quod etiam beatissimum Ambrosium se præsente in Ecclesia tractavisse, nobis aliquando retulerat.

CAPUT XXV.

Disciplina Domestica.

Cum ipso semper (x) Clerici, una etiam domo, ac mensâ, sumptibusque communibus alebantur & vestiebantur.

H 5 Et

citare non piget: „ De panibus a fidelibus in
„ Altari oblatis, quis illis jure ubi debeat,
„ quantùm a præcipuis Ecclesiæ doctoribus
„ investigare valui, in paucis tibi rescribere
„ curavi. Testes autem idonei, quos ad
„ hanc rem corroborandam citavi, hi sunt.
„ Gregorius Nazianzenus mirabilis Doctor,
„ Cyrillus, Athanasius, Theophylus, Ana-
„ tholius, Eustachius, Eusebius Chronogra-
„ phus, & noster Hilarius; qui omnes uno
„ ore eodemque consensu veluti vera sancti
„ Spiritus organa anathematis mucrone censent
„ esse feriendos, qui in usus Laicos panes ob-
„ lationum contulerint; quia omnino Sacer-
„ dotibus solis debentur, nisi fortè Religionis
„ gratia Laici, pro benedictione de manu Sa-
„ cerdotis accipiant. Non solum autem de
„ panibus in Ecclesia hoc sanxerunt Patres
„ nostri, sed de omnibus quæ Altari offerun-
„ tur.

(x) Non alios, quàm Clericos una domo, mensâ, sumptibusque communibus communiter regulariterque vixisse cum Augustino, & hic Possidii locus prodit apertè; & alter locus ex

Et ne quisquam facili juratione etiam ad perjurium decidiſſet, & in Eccleſia populo prædicabat, & ſuos (z) inſtituerat, ne quis juraret, ne ad (*a*) menſam quidem. Quòd ſi prolapſus (*b*) fuiſſet, unam de ſtatutis perdebat potionem: Numorus erat ſuis ſecum commorantibus & convivantibus poculorum præfixus. Indiſciplinationes quoque & transgreſſiones ſuorum a regula recta &

Pœna jurantis.

Pſal. 140. *v.* 4.

ex Epiſt. Valentini Abbatis ad eumdem S. Doct. omnem videtur dirimere in contrarium quæſtionem. Quum S. Doct. circ. ann. Chr. 427. aut. 426. duas miſiſſet Epiſtolas unâ cum libro de gratia, & libero arbitrio ad Valentinum, & cum illo Monachos Adrumetinos, ubi in fine prioris Epiſt., quæ eſt 214. inter Auguſtinianas num. 7. eos ſalutat nomine Fratrum qui cum eo erant, dicens: *Saluto vos non ſolum meo nomine*, ſed etiam Fratrum qui mecum ſunt, *& rogo; ut pro nobis concorditer, atque inſtanter oretis;* parem reddens vicem in ſuâ Epiſtola Valentinus ait num. 6. *Omnes Filios apoſtolatus tui* domnos noſtros Clericos, *ac Sanctos in Congregatione propoſiti ſervientes deprecamur ut digneris noſtro Officio ſalutare.* Non ergo alios habuit ſibi Apoſtolatus Filios, ac ſecum commorantes, niſi Clericos; qui erant & ſancti in Congregatione propoſiti Deo ſervientes.

(z) Cod. 541. *Et ſuis inſtituebat dictis.*

(*a*) Omnes Mſſ. quos viderunt PP. S. Mauri *ad menſam.* Editi *ad modicum*, quibus ſuffragantur Cod. Vatic. 1190.

(*b*) In Mſſ. *feciſſet.*

& (*c*) honeſtate, arguebat, & tolerabat quantùm decebat & oportebat: in talibus præcipuè docens, ne cujusquam cor declinaretur in verba maligna ad excuſandas excuſationes in peccatis. Et dum quisque offerret munus ſuum ad Altare, & illic recordatus fuiſſet quòd frater ſuus haberet aliquid adversùs illum, relinquendum eſſe munus ante altare, atque (*d*) eundem quò fratri reconclietur, & tunc veniendum, & munus ad altare offerendum. Si verò ipſe adversùs fratrem ſuum aliquid haberet, corripere eum debere in parte; & ſi eum audiſſet, lucratus eſſet ſuum fratrem: ſin minùs, adhibendum eſſe unum aut duos: quòd ſi & ipſos contemneret, Eccleſiam adhibendam: ſin verò & huic non obediret, eſſet illi ut fratri peccanti, & veniam petenti, non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties deliĉtum relaxetur, ſicut quisque a Domino quotidie ſibi poſtulat relaxari.

Matth. 5. *v.* 23.

Matt. 18. *v.* 15.

Ibidem v. 22.

CAPUT

(*c*) Cod. duo *& honeſta.* In uno abeſt *honeſtate.*

(*d*) Editi, *atque eumdem fratrem eſſe reconciliandum.* Caſtigatur ex Mſſ.

CAPUT XXVI.

De convictu Feminarum.

Feminarum intra domum ejus nulla umquam converſata eſt, nulla manſit, ne quidem germana ſoror, quæ vidua Deo ſerviens multo tempore usque in diem obitûs ſui præpoſita ancillarum Dei vixit. Sed nec (*e*) patrui ſui filiæ, & fratris ſui filiæ, quæ pariter Deo ſerviebant: Quas perſonas ſanctorum Epiſcoprum concilia in exceptis poſuerunt. Dicebat verò, quia etſi de ſorore, & neptibus ſecum commorantibus nulla naſci poſſet mala ſuſpicio; tamen quoniam illæ perſonæ ſine aliis neceſſariis ſecumque manentibus feminis eſſe non poſſent, & quòd ad eas aliæ etiam a foris intrarent, de his poſſe offendiculum, aut ſcandalum infirmioribus naſci, & illos, qui cum Epiſcopo vel quolibet Clerico fortè manerent, ex illis omnibus feminarum perſonis poſſe unà commorantibus (*f*) vel adventantibus, aut tentationibus humanis perire, aut certè malis hominum ſuſpicionibus peſſimè diffamari. Ob

(*e*) In Miſſ. PP. S. Mauri deeſt *patri ſui Filiæ.* Deeſt etiam in Cod. quos ipſi vidimus.

(*f*) Vetuſtiſſimus Codex Foſſatenſis *aut adventantibus peſſimè diffamari*: Et præterit *aut tentationibus.*

Ob hoc ergo dicebat, numquam debere feminas cum ſervis Dei, etiam caſtiſſimis, unâ manere domo, ne (ut dictum eſt) aliquod ſcandalum, aut offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus: & ſi fortè ab aliquibus feminis ut videretur vel ſalutaretur, rogabatur; numquam ſine Clericis teſtibus ad (g) eum intrabant, vel ſolus cum ſolis umquam eſt locutus, niſi ſecretorum aliquid intereſſet.

CAPUT

(g) Edit. Lov. *ad eas intrabat :* Diſſentien- Mſſ. & Ulim. inquiunt PP. S. Mauri. Codex Reg. 541. *Nunquam ſine Clericis teſtibus ad eam intrabat, vel ſolus cum ſola umquam eſt locutus, niſi Secretorum aliquid interfuit.* Cod. Vat. 1190. *Niſi Secretorum aliquid intereſſet*, licet priùs legat *nec ſi Secretum.* Quemadmodum in textu legimus, etiam ſic legunt Editiones anteriores. „ Quia ut Eraſmus re- „ ctè obſervat in Ep. Dedic. ad Archiepiſc. „ Tolet. Collegia mulierum, *inquit*, quæ in- „ viſeret, nec omnino cum ulla femina mi- „ ſceret Colloquium, niſi præſentibus Clericis, „ aut aliis eſſet arcani, quod unius auribus „ eſſet committendum. Hîc charitas admo- „ nuit maledicorum ſibila contemnere. Nec „ enim usque adeo ſerviendum putabat im- „ proborum linguis, ut neceſſarium Officium „ hâc gratiâ prætermitteretur. Ubi verò non „ urgebat neceſſitas ad cautionem ſuam redi- „ bat. PP. S. Mauri *nec ſi Secretorum aliquid intereſſet.*

CAPUT XXVII.

Officium erga deſtitutos, & ægrotantes.

Jacobi 1. v. 27.

In viſitationibus verò modum tenebat ab Apoſtolo definitum, ut non niſi pupillos, & viduas in tribulationibus (*h*) conſtitutas viſitaret. Et ſi fortè ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præſenti Dominum rogaret, eisque manus imponeret; ſine mora (*i*) pergebat. Feminarum autem monaſteria non niſi urgentibus neceſſitatibus viſitabat.

Servandum quoque in vita, & moribus hominis Dei referebat, quod in (*k*) inſtituto ſanctæ memoriæ Ambroſii compererat, ut uxorem cuiquam numquam proſceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, (*l*) neque in

(*h*) Ulim. & Mſſ. *conſtitutos.*

(*i*) Cod. 541. *Sine mora peragebat.*

(*k*) Editi *in inſtitutis.* In Cod. uno ſimpliciter *quod inſtituto.*

(*l*) Primum ac tertium monitum in priori Epiſt. ad Nepotianum magnopere inculcat D. Hieronymus his verbis: „ Conſolatores nos „ potius in mæroribus ſuis quàm convivas in „ proſperis noverint. Facilè contemnitur Cle- „ ricus, qui ſæpe vocatur ad prandium, & „ ire non recuſat. Et paullo poſt: prædica- „ tor continentiæ nuptias ne conciliet. Qui „ Apo-

in ſua patria petitus iret ad convivium. De ſingulis rebus reddens cauſſas, ſcilicet ne dum inter ſe conjugati caſu jurgarent, ei maledicerent, per quem conjuncti eſſent: ſed plane ad hoc ſibi jam illis conſentientibus petitum intereſſe debere Sacerdotem, ut, vel eorum jam (*m*) pacta, & placita firmarentur, vel benedicerentur. Et ne militiæ commendatus (*n*) ac malè agens ejus culpa ſuffragatori tribueretur. Et ne per frequentiam in patriæ conviviis conſtitutus, temperantiæ amitteretur modus.

Indicaverat quoque nobis ſe prædicti beatæ memoriæ viri in ultimo vitæ conſtituti audiſſe ſapientiſſimum, & piiſſimum reſponſum, & multùm laudabat, ac prædicabat. Nam quum ille venerabilis ultima jaceret ægritudine, & a fidelibus honoratis lecto ejus adſtantibus, & videntibus eum de Seculo ad Deum migraturum, & ob hoc mærentibus tanti ac talis antiſtitis Eccleſiam poſſe privari verbi, & Sacramenti Dei

Ambroſii in extremis præclarum dictum.

„ Apoſtolum legit, ſupereſt ut qui habent
„ uxores ſint, quaſi non habeant; cur virgi-
„ nem cogit, ut nubat? Qui de monogamia
„ Sacerdos eſt, quare viduam hortatur, ut
„ bigama ſit.

(*m*) Veteres Cod. & alii multi *jam facta placita*.

(*n*) Sic omnino Mſſ. at editi, *ſuam culpam malè agens ſuffragatori tribueret*.

Dei diſpenſatione, rogaretur cum lacrymis, ut ſibi a Domino vitæ poſceret (*o*) commeatum eum illis dixiſſe: *Non ſic*

(*o*) Liceat ad hæc verba illuſtranda Viri immortalis ingenii notam advocare in has Paſſionis SS. Perpetuæ & Felicitatis, voces: Tunc dixit mihi Frater meus: *Domina Soror, jam in magna dignitate es; & tanta ut poſtules viſionem, & oſtendatur tibi, an paſſio ſit*, AN COMMEATUS. „ Unde multæ aliæ voces, „ inquit Holſtenius, ex Caſtrenſi diſciplinâ ad „ Sacram Chriſti militiam traductæ, ita & „ *commeatus* vocabulum. Eſt autem auctore „ Feſto: *Tempus quo iri, redirique poſſit*, ab „ Imperatore militibus dari conſuetum. Unde „ Apulejus lib. II. *Amatoriæ militiæ brevem* „ *commeatum indulſit*. Et in Codice: Milites „ *datis commeatibus*, vel *per commeatus* di- „ mitti dicuntur, & hoc modo dimiſſi *com-* „ *meatales* vocantur. Ita Heſychius Κομίατον „ eſſe ait ἐξαὶτησιν λαμϐάνειν τοῦ ἀφεθηναὶ „ hoc eſt: *Petitam liberè abeundi licentiam acci-* „ *pere*. Et in Gloſſis: *Commeatus* ἐξουτία „ quaſi diſcedendi atque eundi, quò velis fa- „ cultas. Ita leg. 3. ff. de pœnis: *Nemo po-* „ *teſt commeatum remeatumve dare exuli, niſi* „ *Imperator ex aliqua cauſſa*. Hæſit hæc vox „ in lingua Italica vulgari usque ad hodier- „ num uſum, niſi quòd, ultra rem militarem „ extenditur ad omnem cujusvis a quovis „ abeundi facultatem. Porro a Chriſtianis il- „ lorum temporum hæc vox eò translata re- „ peritur, ut liberationem a vitæ periculo „ deſignet; ſive id periculum ex morbo im- „ mineat, ſive ex Judicis ſententia. De morbo „ qui-

„ infirmitate defeſſus, & de appropin- „ quante morte ſollicitus, commeatum „ ſibi precaretur, adſtitit deprecanti „ & jam pene morienti juvenis honore „ & majeſtate venerabilis, ſtaturâ cel- „ ſus, & clarus adſpectu, & quem ad- „ ſtantem ſibi vix poſſet humanus ad- „ ſpectus oculis carnalibus intueri, niſi „ quòd talem videre (s) jam poterat „ de ſeculo receſſurus: atque ille non „ ſine quadam animi & vocis indigna- „ tione infremuit, & dixit: Pati ti- „ metis, exire non vultis, quid faciam „ vobis?

Vide Cyprianum in ſerm. de mortalitate.

CAPUT XXVIII.

Quæ proximè ante mortem ab Auguſtino edita.

Ante proximum verò diem obitûs ſui a ſe dictatos & editos recenſuit libros, ſive eos, quos primo tempore converſionis ſuæ adhuc Laicus, ſive quos Presbyter, ſive quos Epiſcopus dictaverat:

(s) Talem videre jam poterat de ſeculo receſſurus. Obſervatione videntur digna hæc Cypriani verba, ex quibus eruere licet animas in corporis egreſſu aptiores eſſe ad intelligendas res a corporibus ſecretas; cui ſententiæ multis in locis ſuffragatur Auguſtinus; & ſi nonnulli oppoſitum arbitrentur, propter corporis ægritudinem, quâ impeditur animus a rerum intelligibilium cognitione.

Hoc enim dixerat ad illud quod homines de homine noſſe poterant. Nam (*q*) ſciens examen æquitasis divinæ, de bono ſe dixit Domino magis (*r*) confidere: cui etiam in oratione quotidiana Dominica dicebat: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Matt. 6. *v.* 12.

Cujusdam quoque Coëpiſcopi, & familiariſſimi ſui amici, in extremis vitæ de talibus frequentiſſimè referebat dictum: Ad quem, quum viſitandum jam morti propinquantem ventitaſſet, & ille manûs geſtu ſe de Seculo exiturum ſignificaret, atque a ſe illi eſſet reſponſum, adhuc eum Eccleſiæ neceſſarium vivere poſſe, illum, ne putaretur hujus vitæ teneri cupiditate, ei reſpondiſſe: *Si nunquam, bene; ſi aliquando, quare non modo?* Et talem ſententiam mirabatur, & laudabat hominem protuliſſe, Deum quidem timentem, verumtamen in villa natum & nutritum, ſed non multa lectionis eruditum ſcientia: Contra illum ſcilicet ſenſum ægrotantis Epiſcopi, de quo Sanctus in Epiſtola ſua, quam de mortalitate ſcripſit Martyr Cyprianus, ita retulit, dicens: „ Quum quidam de „ Collegis & Conſacerdotibus noſtris infir-

Altera Epiſc. morti propinquantis eximia ſententia cont. vitæ hîc prolixioris cupiditatē.

(*q*) Aliquot Mſſ. *Nam ad examen.*

(*r*) Hîc editi addunt, *quàm de meritis ſuis:* Sed abeſt a Mſſ.

„ infirmitate defessus, & de appropinquante morte sollicitus, commeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti & jam pene morienti juvenis honore & majestate venerabilis, staturâ celsus, & clarus adspectu, & quem adstantem sibi vix posset humanus adspectus oculis carnalibus intueri, nisi quòd talem videre (*s*) jam poterat de seculo recessurus: atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Vide Cyprianum in serm. de mortalitate.

CAPUT XXVIII.

Quæ proximè ante mortem ab Augustino edita.

Ante proximum verò diem obitûs sui a se dictatos & editos recensuit libros, sive eos, quos primo tempore conversionis suæ adhuc Laicus, sive quos Presbyter, sive quos Episcopus dictaverat:

(*s*) Talem videre jam poterat de seculo recessurus. Observatione videntur digna hæc Cypriani verba, ex quibus eruere licet animas in corporis egressu aptiores esse ad intelligendas res a corporibus secretas; cui sententiæ multis in locis suffragatur Augustinus; & si nonnulli oppositum arbitrentur, propter corporis ægritudinem, quâ impeditur animus a rerum intelligibilium cognitione.

& quæcumque in his recognovit aliter quàm ſeſe habet Eccleſiaſtica regula a ſe fuiſſe dictata & ſcripta, quum adhuc Eccleſiaſticum uſum minùs ſciret, minúsque (*t*) ſapuiſſet, a ſemetipſo, & reprehenſa & correcta ſunt. Unde etiam duo conſcripſit volumina, quorum eſt titulus: *De recenſione librorum.* Præreptos etiam ſibi quoſdam * libros ante diligentiorem emendationem a nonnullis fratribus conquerebatur, licèt eos poſtmodum emendaſſet. Imperfacta etiam quædam (*u*) ſuorum librorum præventus morte dereliquit. Quique prodeſſe omnibus volens, & (*x*) valentibus multa librorum legere, & non valentibus, ex utroque divino Teſtamento, vetere, & novo, præmiſſa præfatione præcepta divina ſeu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpſit, atque ex his unum codicem fecit: ut, qui vellet, legeret, atque in eo vel quàm obediens Deo inobediensve eſſet, agnoſceret: & hoc opus voluit *Speculum* appellari.

Retractationum libri.

* *De Trinitate.*

Verùm

(*t*) Sic Mſſ. quidam. At editi cum Cod. uno, *minusque intelligeret;* alter Cod. *ſaperet.*

(*u*) Duo præcipuè opera imperfecta derelicta ſunt, quum morte fuit præventus: opus poſtremum contra Julianum, reluctante licet Hieronymo Vignerio. Alterum eſt opus de hæreſibus ad Quodvultdeum.

(*x*) Editi *& volentibus* repugnantibus Mſſ.

Verùm brevi consequenti tempore divina voluntate, & potestate provenit, ut manus ingens diversis telis armata & bellis exercitata, immanium hostium Wandalorum & Alanorum commixtam secum habens Gothorum gentem, aliarumque diversarum personas, ex Hispaniæ partibus transmarinis, navibus Africæ influxisset & irruisset: universaque per loca Mauritaniarum etiam ad alias nostras transiens provincias & regiones, (z) omni sæviens crudelitate & atrocitate, cuncta quæ potuit, exspoliatione, cædibus, diversisque tormentis, incendiis, aliisque innumerabilibus & infandis malis depopulata est, nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei Sacerdotibus vel ministris, nec ipsis Ecclesiarum

Barbarorum irruptio. Prosf. in Chron. refert, Vandalor. ingressum in Africam accidisse sub Consf. Hierii & Ardaburi qui incidit in an. Chr. 427.

I 3 rum

(z) Vict. Vit. lib. 1. hist. pers. Vand. cap. 1. eadem fere enarrat de Vandalis, ut vix dubitem a Possidio nostro accepisse: „ Sexagesimus, *inquit*, nunc agitur annus ex quo „ populus ille crudelis ac sævus Vandalicæ „ gentis Africæ miserabilis attigit fines trans- „ vadans facili transitu per angustias maris, „ qua inter Hispaniam Africamque æquor hoc „ magnum & spatiosum, bissenis millibus an- „ gusto se limite coartavit. Transiens igitur „ quantitas universa calliditate Geiserici ducis, „ ut famam terribilem &c. „ Quæ quum scribere exorsus esset ann. Chr. 487. sequitur non ann. Chr. 426. ingressos esse in Africam Vandalos, sed ad minus exeunte ann. Christi 427.

rum ornamentis (*a*) ſeu inſtrumentis vel ædificiis. Et hanc ferociſſimam hoſtium graſſationem & vaſtationem, ille Dei

(*a*) Hic uſus vocis *inſtrumentum* Africanæ ac Tertullianicæ conſuetudinis eſt; unde pro rerum conditione aliter atque aliter ſonat. Auctor, ſeu potius collector actorum SS. Perpetuæ & Felicitatis, quarum memoria celeberrima apud Afros fuit, dicens dona Dei ad Eccleſiæ diſpenſari utilitatem, *inquit*, in præfat. ad Acta apud Theod. Ruinart: *Virtutes Spiritus ſancti ad inſtrumentum Eccleſiæ deputamus.* Tertullianus in lib. de Fug. in perſecutione ait: *Diaboli iniquitatem ad inſtrumentum perſequutionis eſſe*; & in Apolog. cap. 17. *Deus molem iſtam cum inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, de nihilo expreſſit.* Frequentius tamen accipitur pro ſacris Codicibus, aut rebus ad Sacrificii uſum pertinentibus; ut apud Optatum Milevitanum lib. 6. de Schiſm. Donatiſt. num. 5. ſumitur pro Codicib. dum dicit: *Per judicia ſecularia & leges publicas, divinæ legis inſtrumenta, exequutione officialium a plurimis extorquenda eſſe duxiſtis: volentes ſoli habere, quod pax in commune poſſederat.* Paullo verò poſt accipitur pro altaris ornamentis. *Velamina*, inquit, *& inſtrumenta Dominica extorſiſtis, quæ jamdudum fuerant in commune poſſeſſa.* Sic Donatiſtarum exemplo Poſſidii ævo Genſericus ſacris Codicibus, ac Altarium ornamentis ſpoliavit Catholicos teſte Victore Vitenſi lib. 1. hiſt. perſec. Vand. num. 12.; cujus ſequentia ſunt verba: *Mittit Proculum quemdam in Provinciam Zeuguitanam, qui coartaret ad tradendum miniſteria Divina & libros Sanctos quibus ſe non poſſe tradere*

Dei homo, & factam fuisse & fieri, non ut ceteri hominum, sentiebat, & cogitabat: sed altiùs & profundiùs ea considerans, & in his animarum præcipuè vel pericula vel mortes prævidens, solito amplius, (quoniam, ut scriptum est: *Qui apponit scientiam, apponit dolorem: & cor intelligens, tinea ossibus:*) fuerunt ei lacrymæ panes die ac nocte, amarissimamque & lugubrem præ ceteris suæ senectutis jam pene extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei civitates excidio perditas, pariterque cum ædificiis villarum habitatores, alios hostili nece exstinctos, alios effugatos, atque dispersos; Ecclesias Sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras & quosque continentes ubique dissipatos; & in his alios tormentis defecisse, alios gladio interemptos esse, alios in captivitate, perdita animi & corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deservire; hymnos Dei & laudes de Ecclesiis deperisse, ædificia Ecclesiarum quàm plurimis locis ignibus

Eccles. 1. *v.* 18.

Psal. 41. *v.* 4.

Mala a Barbaris hæresi Ariana infectis illata Africanis Ecclesiis.

tradere clamantibus Sacerdotibus, ipsi rapaci manu cuncta depopulabantur, atque de palliis Altaris, proh nefas! camisias sibi & femoralia faciebant. Quæ hîc Vitensis appellat *ministeria Divina, & libros Sanctos*, Possidius vocat *Ecclesiarum instrumenta.*

concremata, ſolemnia quæ Deo debentur de propriis locis deſiiſſe, ſacrificia (*b*) ac ſacramenta divina vel non quæri, vel quærenti, qui tradat, non facilè reperiri, in ipſas montium ſilvas, & cavernas petrarum & ſpeluncas confugientes, vel ad quasque munitiones, alios fuiſſe expugnatos, (*c*) & interfectos, alios ita neceſſariis ſuſtentaculis evolutos, atque privatos, ut fame contabeſcerent, ipſosque Eccleſiarum præpoſitos & clericos, qui fortè Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes evaſerant, rebus omnibus exſpoliatos atque nudatos egentiſſimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia quibus fulciendi eſſent ſubveniri poſſe: vix tres ſuperſtites ex innumerabilibus Eccleſias, hoc eſt, Carthaginenſem, Hipponenſem, & Cirtenſem, quæ Dei beneficio exciſæ non ſunt, & earum permanent civitates, & divino & humano fultæ præſidio; licèt poſt ejus obitum urbs Hipponenſis incolis deſtituta ab hoſtibus fuerit concremata. Et ſe inter hæc mala cujusdam ſapientis ſententiâ conſolaba-

(*b*) Sic Lovanienſes legunt, & rectè, conſentientibus Cod. Mſſ. PP. S. Mauri: *De propriis locis deſiiſſe Sacrificia, Sacramenta Divina vel non quæri &c.*

(*c*) Tres Mſſ. *& interceptos*: atque, ex iſtis unus proſequitur, *alios ſic a neceſſariis.*

solabatur, dicentis. Non erit magnus (*d*) magnum putans, quòd cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales.

Hæc ergo omnia ille, ut erat altè sapiens, quotidie ubertim plangebat. Accrevitque mæroribus, & lamentationibus ejus, ut etiam adhuc in suo statu consistentem ad eamdem Hipponensium (*e*) regiorum civitatem ab iisdem hostibus Hipponis obsidio.

I 5 stibus

(*d*) Sola edit. Lovan. *Non erit magnum, quòd cadunt.*

(*e*) Editi, *regionum:* corruptè. Notum est, inquiunt, PP. S. Mauri, Civitatem hanc Hipponem-regium dictam, ut suprà cap. 3. quò videlicet ab Hippone diarrytho, alia in Africa Civitate, secerneretur. De mærore Augustini, quia sua Civitas obsidebatur a Vandalis hæc habet Victor Vitensis lib. 1. hist. Pers. Vandal. cap. 3. „ Qua tempestate (id est „ ann. Chr. 430.) Hipponensium obsessa est „ Civitas, quam omni laude dignus Beatus „ Augustinus, librorum multorum confector, „ Pontifex gubernabat. Tunc illud eloquen- „ tiæ, quod ubertim per omnes campos Ec- „ clesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est „ flumen, atque dulcedo suavitatis dulcius „ propinata, in amaritudinem absynthii versa „ est, ut davidicum præconium conveniret: „ *Dum consisteret peccator adversum me, ob-* „ *mutui, & humiliatus sum, & silui a bonis.* In Cod. uno Colbertino, quo usus est Theodoricus Ruinart ad purgandum a mendis Vitensem, quem arbitratur 700. annorum, paullo post allata verba interseruntur sex versus sub Epitaphii titulo; quos & si Victori abjudicaverit,

ſtibus veniretur obſidendam: quoniam in ejus tunc fuerat defenſione conſtitutus Comes (*f*) quidam Bonifacius cum Gotho-

EPITAPHIUM S. AUGUSTINI.

Hic poſuit cineres genitrix caſtiſſima prolis,
Auguſtine, tui altera lux meriti.
Qui ſervans pacis Cœleſtia jura Sacerdos,
Comiſſos populos moribus inſtituis.
Gratia vos manet, geſtorum laude coronat,
Virtutum Mater felicior ſobolis.

verit, voluit tamen in not. 13. afferre, & ſane neminem legiſſe pœnitebit.

(*f*) PP. S. Mauri aliter Mſſ. auctoritate hunc retulerunt locum nempe: *Comes quondam Bonifacius cum Gothorum fœderatorum exercitu.* Cenſuimus Lovanienſium, aliarumque Editionum anteriorum retinendam eſſe lectionem, quoniam magis hiſtoriæ veritati reſpondet. Nam rectè a Poſſidio dici poterat de Bonifacio Hipponem a Barbaris defendente, *Comes quidam Bonifacius cum Gothorum quondam fœderatus exercitu.* Quia ann. 428. aut ad minus exeunte ann. 427. ex Auguſtini conſilio Comitis ſuſcepit poteſtatem, ut eruitur ex num. 7, Epiſt. 220. aliàs 70. ad eumdem miſſæ versùs finem ann. 427. En S. Doctoris verba: *Quis autem crederet, Bonifacio Domeſticorum & Africæ Comite in Africa conſtituto cum tam magno exercitu & poteſtate, qui Tribunus cum paucis fœderatis omnes ipſas gentes expugnando & terrendo pacaverat, nunc tantùm fuiſſe Barbaros auſuros, tantùm progreſſuros, tanta vaſtaturos, tanta rapturos, tanta loca, quæ plena populis*

populis fuerant, deserta facturos? Qui non dicebant quandocumque tu comitivam sumeres potestatem, Afros barbaros, non solùm domitos, sed etiam tributarios futuros Romanæ Reipublicæ? Quod ergo hac in Epiſtola ait Auguſtinus, olim ante Comitis poteſtatem, & tantùm Tribunum cum paucis fæderatis compreſſiſſe barbaros Bonifacium; cenſuit paucis exponendum Poſſidius, dum dixit: *Comes quidam Bonifacius* (hac enim dignitate erat ornatus Vandalis Hipponem obſidentibus) *cum Gothorum quondam fœderatus exercitu.* Quæ autem tantorum malorum in Africa fuerit origo, aliter a Proſpero in Chronico, aliter a Procopio in priori libro de Bello Vandalico exponitur. S. ille Vir ad Conſ. Haerii & Ardaburi ſic publici laboris initium deplorat: *Bonifacio, cujus potentia gloriaque intra Africam augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, quia ad Italiam venire abnuerat, publico nomine illatum eſt, Ducibus Mavortio, & Galbione, & Sinoce; cujus proditione Mavortius & Galbo, quum Bonifacium obſiderent interempti ſunt; Moxque ipſe a Bonifacio dolo detectus, occiſus eſt. Exinde gentibus quæ navibus uti neſciebant, dum a concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum eſt, belliquc contra Bonifacium cæpti in Sigisvultum Comitem cura translata eſt; ſic accidit ut gens Vandaloram a Bonifacio vocata ab Hiſpania ad Africam tranſiret.* A Procopio verò belli origo agnoſcitur Aetii ſimultas & invidua erga Bonifacii gloriam. Unde paullo poſt induſtria amicorum Bonifacii compertis Aetii dolis Imperio & Placidiæ Auguſtæ reſtitutus eſt; qui quum arcere in poſterum Vandalos tentaverit, nullatenus id conſequi valuit. Vid. Procop. lib. I. de Bello Vandal.

Gothorum quondam fœderatus exercitu, quam urbem ferme quatuordecim mensibus conclusam obsederunt: nam & littus illi (g) marinum interclusione abstulerunt. Quò etiam ipsi nos de vicino cum aliis nostris Coëpiscopis confugeramus, in eademque omni ejus obsidionis tempore fuimus. Unde nobiscum sæpissimè colloquebamur, & Dei tremenda judicia præ oculis nostris
Psal. 118. posita considerabamus, dicentes: *Ju-*
v. 137. *stus es, Domine, & rectum judicium tuum.*
2. *Cor.* 1. Pariterque dolentes, gementes, &
v. 3. flentes (*h*) orabamus miserationum patrem

(g) Unus ex Floriacensibus MSS. *Marina.* Cod. Vat. 1190. *illa Marinum.* Cod. 541. *Nam littus illi Marinum in conclusione abstulerunt.*

(*h*) In Edit. Paris. ann. 1651. per Theologos Lovanienses perfecta, hæc in fine Vitæ habetur oratio, tanquam Divi Augustini, cui hanc præfixere Lovanienses admonitionem. *Oratio S. August. paullo ante obitum in obsidione Hipponensi composita, suis operibus non contenta, a Card. Seripando Patribus Concilii Tridentini data.* Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, & plagas quas accepimus, circumferimus, minus est quod patimur, majus est quod meremur. Peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, iniquitas non mutatur. Mens ægra torquetur, & cervix dura non flectitur. Vita in dolore suspirat, & in opere non se emendat. Si exspectas, non corripimur: Si vindicas non

trem & Deum omnis consolationis, ut in eadem nos tribulatione sublevare dignaretur.

CAPUT XXIX.

Morbus extremus Augustini.

Et fortè provenit, ut unà cum eodem ad mensam constitutis, & inde confabulantibus nobis diceret: Noveritis me hoc tempore nostræ calamitatis id Deum rogare, ut: aut hanc civitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certè ut me de hoc seculo ad se accipiat. Quæ ille dicens, nosque instruens, deinceps cum eodem & nos, & nostri omnes, & ipsi qui in eadem fuerant civitate, a summo Deo similiter petebamus. Et ecce tertio illius obsidionis mense decubuit

non duramus. Confitemur in correctione quod egimus: obliviscimur post visitationem quod flevimus. Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non facimus. Si ferias, clamamus ut parcas: si peperceris iterum provocamus ut ferias. Habes Domine confitentes reos: novimus quod, nisi peccata dimittas, rectè nos perimas. Præsta, Pater Omnipotens Deus, sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent, Amen.

cubuit febribus fatigatus, & illâ ultimâ exercebatur ægritudine. Nec ſuum ſane Dominus famulum fructu ſuæ precis fraudavit. Nam & ſibi ipſi, & eidem civitati, quod lacrymoſis depopoſcit precibus, in tempore impetravit. Novi quoque eumdem & presbyterum, & epiſcopum, (*i*) pro quibusdam energumenis (*k*) patientibus, ut oraret, rogatum, eumque in oratione lacrymas fundentem Deum rogaſſe, & (*l*) dæmones ab hominibus receſiſſe. Itemque ad ægrotantem & lecto * vacantem quemdam cum ſuo ægroto veniſſe, & rogaviſſe ut eidem manum imponeret, quo ſanus eſſe poſſet: eumque reſpondiſſe, ſi aliquid in his poſſet; ſibi hoc utique primitus præſtitiſſet: & illum dixiſſe viſitatum ſe fuiſſe, ſibique per ſomnium dictum eſſe: Vade ad Auguſtinum Epiſcopum, ut eidem manum imponat, & ſalvus erit. Quod quum comperiſſet, facere non diſtulit, & illum infirmum continuò Dominus ſanum ab eodem diſcedere fecit.

Energumeni ab Auguſtin. liberati.

*Aliàs *jacentem.*

CAPUT

(*i*) Cod. 1191. *pro quibusque.*
(*k*) Cod. 110. *petentibus ut rogaret.*
(*l*) Cod. 1191. *ut dæmones ab hominibus recederent.*
(*m*) Codex Reg. 541. *Quum Mauritaniæ imminerent hoſtes.*

CAPUT XXX.

Consilium, an hostibus adventantibus, ex Ecclesiis episcopis recedendum sit.

Interea reticendum minimè est, (m) quum memorati impenderent hostes, a sancto Viro quoque nostro Coëpiscopo (n) Thiavensis Ecclesiæ Honorato, litteris fuisse consultum, utrumnam illis adventantibus, ex Ecclesiis Episcopis vel Clericis recedendum esset, necne: eique rescriptis insinuasse, quid magis ab illis Romaniæ eversoribus esset metuendum. Quam ejus Epistolam huic scrip-

(n) Editi Thabennensis. At Mss. *Thiabensis* cut *Thiavensis*. Extat Augustini Epistola in ord. 83. ad Alypium scripta ann. 404. super Honorati Presbyteri bonis ex Monasterio Thagastensi promoti ad presbyteratum Thiavensis Ecclesiæ. Ubi observant PP. S. Mauri veterem Codicem Corbejensem præferre, *Thiavensis* „ quem scribendi modum, inquit, magis probamus, quia in indiculo Possidii apud „ Mss. exemplaria censentur quædam Epistolæ „ *Thiavensibus*, seu commutato *v* in *b* *Thiabensibus* scriptæ. „ Unde in Ep. exordio legunt sic: *Tristitia Thiavensis Ecclesiæ &c.* In hoc autem loco Possidii *Thiabensis*. Placuit autem in textu retinere lectionem illam, quam laudati PP. magis probarunt, & Codicum authoritate firmatur.

ſcripturæ (*o*) inſerere volui: Eſt enim Sacerdotum Dei, & miniſtrorum moribus valde utilis, & neceſſaria. Iſto modo reſcriptum eſt ad eumdem ab eodem.

Sancto Fratri, & Coëpiſcopo HONORATO AUGUSTINUS in Domino ſalutem.

Scripta eſt hæc Epiſt. ann. Chr. 428. aut 429. Extat in tom. 2. n. 228.

I. Charitati tuæ miſſo exemplo Epiſtolæ, quam fratri Quodvultdeo noſtro coëpiſcopo ſcripſi, putabam me hoc onere caruiſſe, quod mihi impoſuiſti, quærendo conſilium, quid in his periculis(*p*) quæ tempora noſtra invenerunt, facere

(*o*) A PP. S. Mauri, ac editoribus aliis, qui eos præceſſerunt, hæc Auguſtini Epiſtola ad Honoratum omiſſa eſt, quia eamdem, in tom. 2. inter Epiſtolas reliquas exhibuere; at in hac editione vitæ, tamquam ſeparatæ ab operibus D. Auguſtini illam non dare, culpa eſſet, quando Vitæ inſerendam Poſſidius cenſuit tamquam valde utilem & neceſſariam Sacerdotibus omnibus, illis præſertim, quibus animarum cura demandata eſt. Proinde nos integram damus cum numerorum diſtinctione, quæ reperitur in noviſſ. Edit. tom. 2. Ep. 228. quum emendata ſit ad Codices multos, inſignioresque editiones: Unde ſatis ſuperque videtur unam aut alteram variantem repræſentare lectionem, ope Cod. duorum Bibliothecæ Suecorum Reginæ, unà cum notulis, quas ex veterum Patrum operibus deprompſimus.

(*p*) Lovan. *quæ in tempora noſtra venerunt.*

facere debeatis. Quamvis enim Epistolam illam breviter scripserim, nihil me tamen prætermisisse arbitror, quod & respondenti dicere, & quærenti audire sufficeret: quandoquidem dixi, nec eos esse prohibendos, qui ad loca, si possunt, munita migrare desiderant; & ministerii nostri vincula, quibus nos Christi charitas alligavit, ne deseramus Ecclesias, quibus servire debemus, non esse rumpenda. Ista quippe verba sunt, quæ in illa Epistola posui: Restat ergo, inquam, ut nos quorum ministerium quantulæcumque plebi Dei ubi sumus manenti, ita necessarium est, ut sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino: *Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitum.*

Epistola ad Quodvultdeum Episcop. quæ non extat.

Psal. 30. v. 3.

II. Sed hoc consilium tibi propterea non sufficit, ut scribis, ne contra Domini præceptum vel exemplum facere nitamur, ubi fugiendum esse de Civitate in Civitatem monet, recolimus enim verba dicentis: *Quum autem persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam.* Quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluisse, ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparavit? Numquid hoc fecit ipse, quando portantibus parentibus in Ægyptum parvulus fugit, qui nondum

Licitum est fugere quum quis specialiter quæritur ad necem.

Matt. 10. v. 23.

Matth. 2. v. 14.

Ecclesias congregaverat, quas ab eo
2. Cor. 11. desertas fuisse dicamus? Numquid
v. 35. quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus per fenestram in sporta submissus est, effugit manus ejus, deserta est quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio, & non ab aliis fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut seipsum servaret Ecclesiæ, quem propriè persequutor ille quærebat. Faciant ergo servi Christi, ministri verbi & Sacramenti ejus, quod præcepit sive permisit. Fugiant omnino de Civitate in Civitatem, quando eorum quisquam (*q*) specialiter a persequutoribus quæritur, ut

(*q*) Rectè monet Augustinus licitam esse Ecclesiæ ministro fugam, quando specialiter a persequutoribus quæritur; ita tamen ut Ecclesiæ non desit necessarium ministerium. Sic olim quum in Nolanam Ecclesiam ferox gentilium manus impetum fecisset; & ut Paulinus testatur

S. Paul. de Vit. & confess. S. Felicis poem. xv. nat. iv. nov. edit.

„ Præcipueque illos populo deposceret omni
„ Impietas, quorum pietas insignior esset:

ac per id temporis Optimus Sanctusque Vir Maximus urbem Episcopali formaret providentiâ

„ Presbytero Felice potens, quem mente paterna

„ Com-

„ Complexus, veluti natum, ſedisque fovebat
„ Heredem :

non cedente fide, prudens ſenex petiit deſerta locorum, relinquens Felicem communis ovilis cuſtodem. Unde quemadmodum Paulinus canit:

„ Tunc magis atque magis, quæſito Antiſtite, Felix
„ Claruit oppoſitus gladiis, ſolusque fidei
„ Invidia affectus.

Imo ut appareat quàm licitum ſit ſe abſcondere, quum quis ſpecialiter ad necem poſtulatur, hîc non piget recitare quæ de eodem Felice refert Paulinus ipſe. Nam Presbytero hortante fidelem populum, ut nullatenus cederet, ſed conſtanter ad mortem usque vim Chriſtiani nominis quisque tueretur, a feroci gentium manu hac de cauſſa inſectatus, ſe ſubtraxit; quem aranearum telæ virtute divina ſecurum ac tutum reddidere: deinde S. Paulin. poem. XVI. nat. nov. edit.

„ Digreſſis quum facta ſilentia turbis,
„ Secretoque fugæ fidas nox alta tenebras
„ Præbuit: egreditur Felix, mutatque latebram,
„ Illa canens Domino: *Media ſi mortis in umbra* *Pſalm.22.*
„ *Ingrediar, mala non metuam, quoniam tua mecum*
„ *Dextra, per infernum non expers luminis ibo*
„ Ergo Dei ductu capit in regione remota
„ Compluvium, anguſto brevia inter tecta cubili,
„ Quo vetus arebat tecto ciſterna profundo,

ubi ſex delituit menſibus; poſt quos reddita Eccleſiæ pace

ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deferatur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Quum autem omnium, id est Episcoporum, Clericorum (r) & Laicorum est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant; aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos paterfamilias volet perpeti.

Ex charitate patiuntur, qui urgente communi periculo non fugiunt.

III. Quòd si contigerit, ut sive alii minus, alii majus, sive omnes æqualiter patiantur, qui eorum sint, qui pro aliis patiuntur apparet, illi scilicet, qui, quum se possent talibus malis eripere fugien-

„ Ut novus in lucem jam desperantibus exit,
„ Et patria tamquam redivivus in urbe videtur,
„ Et multi dubitant agnoscere, & ante rogantes:
„ Vera ne te facies, ajunt, tu ne ille beatus
„ Redderis heu tanto nobis post tempore Felix?
„ Qua regione venis? Cœlo datus, an Paradiso
„ Redditus in terras habitacula nostra revisis?
„ Ille fidem firmat, coram se corpore adesse,
„ Servatum vixisse Deo: dat gaudia cunctis;
„ Laudibus & meritis populo celebratur ab omni.

(r) Editi omiserunt *& Laicorum*, quam tamen vocem præferunt Mss. Codices.

fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent, manere maluerunt. Hinc maximè probatur illa charitas quam Johannes Apostolus commendat, dicens: *Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Nam fugiunt, vel suis devincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiuntur pro seipsis, non pro fratribus utique patiuntur. Qui verò propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad Christianam salutem indigebant, deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt.

1. *Joan.* 3. *v.* 16.

IV. Unde illud quod Episcopum „ quemdam dixisse audimus, (Si Do- „ minus nobis imperavit fugam in eis „ persequutionibus, ubi potest fructus „ esse Martyrii; quanto magis debemus „ fugere steriles passiones, quando est „ barbaricus & hostilis incursus? „ Verum (*s*) est quidem & acceptabile, sed his quos Ecclesiastici Officii non tenent vincula. Nam qui clades hostiles ideo non fugit, quum possit effugere, ne deserat (*t*) ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri vel vivere Christiani, majorem charitatis inve-

Plus est non deserere Ecclesiam in communi periculo, quàm fugere, & postea comprehensum pati Martyrum.

(*s*) Cod. Reg. 541. *utile est quidem.*

(*t*) Cod. Reginæ 1025. *ne deserat ministerium Christo.*

invenit fructum, quam qui non propter fratres, ſed propter ſeipſum fugiens atque comprehenſus non negat Chriſtum, ſuſcipitque Martyrium.

Non deſerendæ ſunt plebes in periculis; & qui hoc facit, vel errore decipitur, vel timore vincitur.

V. Quid eſt ergo quod in Epiſtola
„ tua priore poſuiſti? Dicis enim, (Si
„ in Eccleſiis perſiſtendum eſt, quid
„ ſimus nobis vel populo profuturi non
„ video, niſi ut ante oculos noſtros
„ viri cadant, feminæ conſtuprentur,
„ incendantur Eccleſiæ, nos ipſi in tor-
„ mentis deficiamus, quum de nobis
„ quæritur quod non habemus.)„ Potens eſt quidem Deus audire preces familiæ ſuæ, & hæc, quæ formidantur, avertere, nec ideo tamen propter iſta, quæ incerta ſunt, debet noſtri Officii eſſe certa deſertio, ſine quo eſt plebi certa pernicies, non in rebus vitæ hujus, ſed alterius incomparabiliter diligentiùs ſollicitiúsque curandæ. Nam ſi certa eſſent iſta mala, quæ timentur, ne in locis, in quibus ſumus, fortè contingant, priùs inde fugerent omnes, propter quos ibi manendum eſt, & nos a manendi neceſſitate liberos redderent. Non enim quisquam eſt, qui dicat miniſtros manere oportere, ubi jam non fuerint, quibus neceſſe ſit miniſtrare. Ita quidam S. Epiſcopi de Hiſpania profugerunt, priùs plebibus partim fugâ lapſis,

lapsis, (*u*) partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captivitate dispersis: sed multò plures illic manentibus, propter quos manerent, sub eorumdem periculorum densitate

(*u*) Licet a Prospero in Chronico ad Consul. Honorii X. & Theodosii VI. qui incidit in ann. Chr. 413. dicatur, hoc anno Gothos migrasse in Hispanias, quam ob caussam Attalus ab illis neglectus, præsidioque carens, captus est, ac Constantio patricio vivus oblatus: nihilominus ex Ep. Augustini ad Victorianum Presbyterum, quæ est 111. in ordine aliàs 122. scripta exeunte ann. 409. constat a Barbaris per id temporis jam multa illata fuisse Hispaniis mala. Sic enim S. Vir in Epistolæ exordio loquitur: „ Ante parvum tempus, etiam „ in illis sollitudinibus Ægypti, ubi Monasteria „ separata ab omni strepitu, quasi secura de- „ legerant, a barbaris interfecti sunt fratres. „ Jam verò quæ modo in regionibus Italiæ, „ quæ in Galliis nefaria perpetrata sint, etiam „ vos latere non arbitror: *De Hispaniis quo-* „ *que tot Provinciis, quæ ab his malis diu vi-* „ *debantur intactæ, cœperunt jam talia nun-* „ *tiari?* „ Et eo usque circa ann. Chr. 420. mala crevere, ut ann. Chr. 422. exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus sit, cui Cassianus Dux præerat teste Prospero in Chronico ad Cons. Honorii XIII. & Theodosii X., qui Bonifacium Virum belli artibus præclarum, inepto & injurioso Imperio, abjecit. Sic ille indignum ratus eum sequi quem discordem superbientemque expertus esset, celeriter se ad portum urbis, atque inde ad Africam proripuit, idque reipublicæ multorum laborum initium fuit.

manſerunt. Et ſi aliqui deſeruerunt plebes ſuas, hoc eſt, quod dicimus fieri non debere. Neque enim tales docti auctoritate Divina; ſed humano vel errore decepti, vel timore ſunt victi.

Exponuntur Dominic. ſententiæ de fuga, & de mercenario, cui non eſt cura de ovibus. *Matt.* 10. *v.* 23. *Joan.* 10. *v.* 12.

VI. Cur enim ſibi putant indifferenter obtemperandum eſſe præcepto, ubi legunt: De Civitate in Civitatem eſſe fugiendum; & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non eſt ei cura de ovibus? Cur non iſtas duas Dominicas veraſque ſententias, unam ſcilicet ubi fuga ſinitur, aut jubetur, alteram ubi arguitur atque culpatur, ſic intelligere ſtudent, ut inter ſe reperiantur non eſſe contrariæ, ſicut non ſunt? Et hoc quomodo reperitur, niſi attendatur quod jam ſuperiùs diſputavi, tunc de locis, in quibus ſumus, premente perſequutione fugiendum eſſe Chriſti miniſtris, quando ibi aut plebs Chriſti non fuerit, cui miniſtretur; aut etiam fuerit, & poteſt impleri per alios neceſſarium miniſterium, quibus eadem non eſt cauſſa fugiendi; ſicut in ſporta ſubmiſſus, quod ſuprà memoravi, fugit Apoſtolus, quum a perſequutore propriè ipſe quæreretur, aliis utique neceſſitatem ſimilem non habentibus, a quibus illic miniſterium abſit ut deſereretur Eccleſiæ; ſicut fugit S. Athanaſius Alexandrinus Epiſco-

1. *Cor.* 8. *v.* 11.

Epiſcopus, quum eum ſpecialiter apprehendere (x) Conſtantius cuperet Imperator, nequaquam a ceteris miniſtris deſerta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat. Quum autem plebs manet, & miniſtri fugiunt, miniſteriumque ſubtrahitur, quid erit niſi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non eſt cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, ſed diabolus; qui plerumque fideles Apoſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum miniſterium Dominici corporis defuit; & peribit infirmus in tua non (z) ſcientia, ſed ignorantia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.

VII. Quod autem ad eos attinet, in hac re non falluntur errore, ſed formidine ſuperantur, quare non potius contra ſuum timorem Domino miſerante atque adjuvante fortiter dimicant, ne mala ſine compara-

Timore malorum temporalium, non eſt ſub trahen-

(x) Vehementer S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus de Conſtantio Imperatore queritur in libro contra eundem edito ann. Chr. 360. quum e vivis eſſet ereptus; quia ſingulariter opprimendum ſuſceperat Athanaſium. Sic enim deplorat mala Alexandriæ irrogata ob ſancti Epiſcopi fidem: „ Adeſt mecum Alexandria, „ inquit num. 11. tot concuſſa bellis, tantum „ commotarum expeditionum pavens tumul- „ tum. Brevius enim adverſum Perſam, quam „ adverſum eam armis certatum eſt. Mutati „ præfecti, electi duces, corrupti populi, „ commotæ legiones, ne Chriſtus ab Atha- „ naſio prædicaretur.

(z) Cod. Reg. 541. *in tua non conſcientia.*

dum ministerium pietati necessarium.

2. Cor. 11. v. 29.

paratione graviora, quæ multo amplius sunt tremenda, contingant? Fit hoc ubi Dei charitas flagrat, non mundi cupiditas fumat. Charitas enim dicit, *quis infirmatur, & non ego infirmor? Quis scandalizatur, & non ego uror?* Sed charitas ex Deo est. Oremus ergo ut ab illo detur, a quo jubetur. Et per hanc magis timeamus ne oves Christi spiritualis nequitiæ gladio in corde, quam ne ferro in corpore trudicentur, ubi quantocunque mortis genere morituri sunt. Magis timeamus ne sensu interiori corrupto pereat castitas fidei, quam ne feminæ violenter constuprentur in carne. Quia violentia non violatur pudicitia, si mente servatur: quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, (*a*) sed sine consensione

(*a*) Hujus assertionis hæc ab eodem S. Doctore tribuitur ratio tum in primo libro de Civitate Dei tum in 4. adversus Julianum c. 3, n. 14. Quia quum virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesq; virtutes etiam quæ per corpus operantur in animo habitent; sicut vera ratione non asseritur corpus pudicum, quando a vero Deo ipse animus fornicatur: ita servata fide Deo, ac integritate in mente, & si quid violenter ab alio in corpus operetur hominis, nec permisit libido patientis „ solius, inquit in Ep. ad Victorianum, quæ est 111. erit facientis culpa; omnisque illa violentia non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere deputabitur. Tantum enim in mente valet integritas castitatis, ut illa inviolata, nec in corpore possit pudicitia violari, cujus membra potuerint superari.

ſione tolerat quod alius operatur. Magis timeamus ne lapides vivi extinguantur deſerentibus nobis, quàm ne lapides & ligna terrenorum ædificiorum incendantur præſentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Chriſti deſtituta ſpirituali victu necentur, quàm ne membra corporis noſtri oppreſſa hoſtili impetu torqueantur. Non quia iſta non ſunt vitanda quum poſſunt; ſed quia potiùs ferenda ſunt, quando vitari ſine impietate non poſſunt: niſi fortè quisquam contenderit non eſſe miniſtrum impium, qui tunc ſubtrahit miniſterium pietati neceſſarium, quando magis eſt neceſſarium.

VIII. An non cogitamus, quum ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem & Sacramentorum confectionem & erogationem? Ubi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quo-

Imminente periculo omnes ad Eccleſiam curꝛunt, conſolationē & Sacramenta requirentes.

quorumdam quanta blasphemia de absentia (b) ministeriorum & ministrorum? Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo sit adquisitio malorum æternorum. Si autem ministri adsint, pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur; alii baptizantur, alii reconciliantur, (c) nulli Dominici corporis communione fraudantur, omnes consolantur, ædificantur, exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia, quæ timentur, avertere; parati ad utrumque, ut si non potest ab eis calix iste transire, fiat voluntas ejus, qui mali aliquid non potest velle.

Ex præsentia Clericorum multa bona in periculis consequitur fidelis populus.

IX. Certè jam vides quod te scripseras non videre, quantum boni consequantur populi Christiani, si in præsentibus malis non eis desit præsentia ministrorum Christi, quorum vides etiam quantum obsit absentia, dum sua quærunt, non quæ JEsu Christi; nec habent illam de qua dictum est: *Non quærit, quæ sua sunt;* nec imitantur eum qui dixit: *Non quærens quod mihi (d) utile, sed quod multis, ut salvi fiant.* Qui etiam persequu-

Philip. 2. v. 11. 1. Cor. 13. v. 5. 1. Cor. 10. v. 33.

(b) Cod. Reg. 1025. *mysteriorum & ministrorum.*

(c) Cod. 541. *non multi.*

(d) Ambo Reginæ Codices *non quod mihi utile est.*

ſequutoris principis illius inſidias non fugiſſet, niſi ſe aliis quibus neceſſarius erat, ſervare voluiſſe. Propter quod ait, *Compellor autem ex duobus concupiſcentiam habens, diſſolvi & eſſe cum Chriſto, multo magis optimum; manere autem in carne neceſſarium propter vos.* *Philip.* 1. *v.* 23.

X. Hîc fortè quis dicat, ideò debere Dei miniſtros fugere talibus imminentibus malis, ut ſe pro utilitate Eccleſiæ temporibus tranquillioribus ſervent. Rectè (*e*) hoc fit a quibusdam, quando non

Rectè nonnulli ſe conſervant ob magnam Eccleſiæ utilitat.

(*e*) Sicut olim rectè a Cypriano factum fuit, teſte Pontio Diacono, qui ut ait Hieronymus in Catal. ſcript. Eccleſ.. *Egregium volumen vitæ & paſſionis Cypriani reliquit.* Quum enim Valeriano & Gallieno imperantibus vaſtaret Dei populum perſequutionis infeſtæ atque acerbæ graſſatio: & quia decipere una fraude non poterat artifex hoſtis, diſpari genere ſæviendi, multos diversâ ſtrage dejecit. Hinc quoniam opus erat, ut permaneret qui ſaucios homines pro vulneris qualitate adhibita medidicinæ cæleſtis medela, vel ſecaret vel foveret: *Servatus eſt*, inquit Pontius numer. 8. *vir ingenii, præter cetera etiam ſpiritualiter temperati; qui inter reſultantes collidentium ſchismatum fluctus, Eccleſiæ iter medium, librato limite gubernaret.* Unde occulto Divinæ providentiæ conſilio ait accidiſſe, ne in ſui Epiſcopatus exordio Martyrii aſſequeretur coronam: „ Finge (*inquit num.* 7. *Edit. Theod.* „ *Ruinart in Act. num. ſinceris*) tunc illum „ Martyrii dignatione translatum. Quis emo- „ lumen-

non desunt alii, per quos suppleatur Ecclesiasticum ministerium, ne ab omnibus
nibus

„ lumentum gratiæ per fidem proficientis
„ ostenderet? Quis virgines ad congruentem
„ pudicitiæ disciplinam & habitum sanctimo-
„ nia dignum velut frenis quibusdam lectionis
„ dominicæ coërceret? Quis doceret pœni-
„ tentiam lapsos, veritatem hæreticos, schis-
„ maticos unitatem, filios Dei pacem, & E-
„ vangelicæ precis legem? Per quem genti-
„ les blasphemi repercussis in se iis quæ nobis
„ ingerunt, vincerentur? A quo Christiani
„ mollioris affectus circa amissionem suorum,
„ aut, quod magis est, fidei parvioris conso-
„ larentur spe futurorum? Unde sic misericor-
„ diam, unde patientiam discemus? Quis
„ livorem de venenata invidiæ malignitate
„ venientem, dulcedine remedii salutaris in-
„ hiberet? Quis Martyres tantos exhortatio-
„ ne divini sermonis erigeret? Quis denique
„ tot Confessores, frontium notatarum secun-
„ da inscriptione signatos, & ad exmeplum Mar-
„ tyrii superstites reservatos, incentivo tubæ
„ cælestis animaret? Bene, bene tunc, &
„ verè spiritualiter contigit, quòd vir neces-
„ sarius tam multis & bonis rebus, a Marty-
„ rii consummatione dilatus est. Vultis scire
„ secessum illum non fuisse formidinem? Ut
„ nihil aliud excusem, ipse postmodum passus
„ est, quam passionem utique ex more vita-
„ ret, si & ante vitasset. Fuit verè formido
„ illa, sed justa formido quæ Dominum time-
„ ret offendere: formido quæ præceptis Dei
„ mallet obsequi, quàm sic coronari. Dicata
„ enim in omnibus Deo mens, & sic divinis
„ admonitionibus mancipata; credidit se nisi
„ Domino latebram tunc jubenti paruisset,
„ etiam ipsa passione peccare.

nibus deferatur; quod fecisse Athanasium suprà diximus. Nam quantum necessarium fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit, quòd vir ille mansit in carne, catholica fides (*f*) novit, quæ adversùs Arianos hæreticos ore illius & amore defensa est. Sed quando est commune periculum, magisque timendum est, ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quàm vivendi prosit officio, nulla ratione faciendum est. Denique S. David, ne se committeret periculis præliorum, & fortassis *exstingueretur*, 1. *Reg.* 21.
sicut ibi dictum est, *lucerna Israel*, a suis *v.* 17.
hoc petentibus sumpsit, non ipso præsumpsit; alioquin multos imitatores fecisset

(*f*) Nam quia Religiosæ vetustatis amator „ ac tenax fuit, tanto munere Dominus dignum „ judicavit, ut per eum prostratas restauraret „ Ecclesias, extinctos spirituales populos vi- „ vificaret, dejectas Sacerdotum coronas re- „ poneret, nefarias illas novellæ impietatis non „ litteras sed lituras, infuso cælitus Episcopis „ (*Arimino lapsis ann. Ch.* 359.) fidelium lacry- „ marum fonte deleret: Universum postremo „ jam pœne Mundum, sæva repentinæ hære- „ seos tempestate perculsum, ad antiquam fi- „ dem a novella perfidia, ad antiquam sani- „ tatem a novitatis vesania, ad antiquam lu- „ cem a novitatis cæcitate revocaret; quemadmodum loquitur S. Vincentius Lirinensis in Commonit. adv. prophanas novitates num. 7.

cisset ignaviæ, qui eum crederent hoc fecisse non consideratione utilitatis aliorum, sed suæ perturbatione formidinis.

Quid agẽdum est, quum soli Ecclesiæ ministri quæruñtur.

XI. Occurrit autem alia quæstio, quam contemnere non debemus. Si enim hæc utilitas negligenda non est, ut aliqui ministri propterea fugiant imminente aliqua vastitate, ut serventur qui ministrent eis, quos post illam cladem residuos potuerint invenire; quid fiet ubi omnes videntur interituri, nisi aliqui fugiant? Quid (g) enim si eatenus sæviat illa pernicies, ut solos ministros Ecclesiæ persequatur? Quid dicemus, an relinquenda est a ministris fugientibus Ecclesia, ne a morientibus miserabilius relinquatur? Sed si Laici non quæruntur ad mortem, possunt occultare quoquo modo Episcopos & Clericos suos, sicut ille adjuverit, in cujus potestate sunt omnia, qui potest & non fugientem per mirabilem conservare potentiam. Sed ideo quærimus quid nos facere debeamus, ne in omnibus exspectando divina miracula tentare Dominum judicemur. Non quidem talis est ista tempestas; quando Laicorum & Clericorum est commune periculum, sicut in navi una commune peri-

(g) Ex Cod. Regin. 541. ita restituimus. Noviss. Paris. Edit. *Quid si enim hactenus sæviat &c.*

periculum eſt mercatorum atque nautarum. Verùm abſit; ut tanti pendenda ſit hæc navis noſtra, ut debeant eam nautæ, & maximè gubernator periclitantem deſerere, etiam ſi in ſcapham tranſiliendo, vel etiam natando poſſint effugere. Quibus enim metuimus ne noſtra deſertione pereant, non temporalem mortem quæ quandoque ventura eſt, ſed æternam, quæ poteſt, ſi non caveatur, venire, & poteſt, ſi caveatur, etiam non venire, metuimus. In communi autem periculo vitæ hujus cur exiſtimamus, ubicumque fuerit hoſtilis incurſus, omnes Clericos & non etiam omnes Laicos eſſe morituros, ut ſimul finiant hanc vitam, cui ſunt Clerici neceſſari? Aut cur non ſperamus ſicut Laicos aliquos, ſic etiam Clericos remanſuros, a quibus eis neceſſarium miniſterium valeat exhiberi?

Sorte legendi ſunt qui maneant, aut fugiant ex Eccleſiæ miniſtris, ne omnium morte vel fuga deſeratur Eccleſia.

XII. Quamquam ô ſi inter Dei miniſtros inde ſit diſceptatio, qui eorum maneant, ne fugâ omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deſeratur Eccleſiæ! Tale quippe certamen erit inter eos, ubi utrique ferveant charitate, & utrique placent charitati. Quæ diſceptatio ſi aliter non potuerit terminari, quantùm mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, ſorte legendi ſunt. Qui enim dixerint ſe potiùs fu-

gere debere, aut timidi videbantur, quia imminens malum ſuſtinere noluerunt; aut arrogantes, quia ſe magis qui ſervandi eſſent, neceſſarios Eccleſiæ judicarunt. Deinde fortaſſis ii, qui meliores ſunt, eligent pro fratribus animas ponere; & hi ſervabuntur fugiendo, quorum eſt minùs utilis vita, quia minor conſulendi & gubernandi peritia. Qui tamen ſi piè ſapiunt, contradicent eis, quos vident & vivere potius oportere, & magis mori malle, quàm fugere.
Prov. 18. v. 18. Ideò ſicut ſcriptum eſt, (*h*) *Contradictiones ſedat ſortitio, & inter potentes definit.* Melius enim Deus in hujuſcemodi ambagibus, quàm homines judicat, ſive dignetur ad paſſionis fructum vocare meliores, & parcere infirmis, ſive iſtos facere ad mala perferenda fortiores, & huic vitæ ſubtrahere, quorum non poteſt Dei Eccleſiæ tantùm quantùm illorum vita prodeſſe. Res quidem fiet minùs uſitata, ſi fiat iſta ſortitio; ſed ſi facta fuerit, quis eam reprehendere audebit? Quis non eam niſi imperitus, aut invidus, congrua prædicatione laudabit? Quod ſi non placet facere, cujus facti non occurrit exemplum, nullius fuga faciat ut Eccleſiæ miniſterium, maximè in tantis periculis neceſ-

(*h*) Cod. 541. *contradictiones componet ſors, & inter potentes definiet.*

necessarium ac debitum, desit. Nemo (*i*) accipiat personam suam, ut si aliquâ gratiâ videtur excellere, ideo se dicat vitâ, & ob hoc fugâ, esse digniorem. quisquis enim hoc putat, nimiùm sibi placet. Quisquis autem etiam hoc dicit, omnibus displicet.

XIII. Sunt sane qui arbitrantur Episcopos & Clericos non fugientes in talibus periculis, sed manentes, facere ut plebes decipiantur, quum ideo non fugiunt, quia manere suos præpositos cernunt. Sed facile est hanc responsionem vel invidiam declinare, alloquendo easdem plebes, atque dicendo, non vos decipiat, quod de loco isto non fugimus. Non enim propter eos, sed propter vos potiùs hîc manemus, ne vobis non ministremus quidquid saluti vestræ, quæ in Christo est, novimus necessarium. Si ergo fugere volueritis, & nos ab istis, quibus tenemur, vinculis solvistis. Quod tunc puto esse dicendum, quando verè videtur utile esse ad loca tutiora migrare. Quo audito si vel aliqui dixerint, in illius potestate sumus, cujus iram nullus, quocumque

Plebe recedente licitum est Ecclesiæ ministris abire.

 vadit,

(*i*) Mss. decem quos viderunt PP. S. Mauri: *Nemo accipiat personam suam* quibus suffragantur duo Codices nostri. Et quidem rectè sic legunt. Hinc mirum, quare præferat Paris. Edit. *Nemo excipiat personam suam.*

vadit, evadit; cujus misericordiam, ubicumque sit, potest invenire, qui nusquam vult ire, sive certis necessitatibus impeditus, sive laborare nolens ad incerta suffugia, & non ad finienda, sed ad mutanda pericula: procul dubio isti (k) deserendi non sunt ministerio Chri-

(k) Quoniam supra ex Pontio Diacono ostendimus S. Cyprianum se reservasse & fugisse ob Ecclesiæ utilitatem; liceat nunc ex eodem ostendere quomodo idem SS. Præsul urgente communi periculo non se subtraxerit. „ Per-
„ curramus cetera, si videtur, *inquit Pontius*
„ *num.* 9. Erupit postmodum lues dira, &
„ detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros
„ per diem populos a sua quemque sede abrupto
„ impetu rapiens continuata per ordinem do-
„ mos vulgi trementis invasit. Horrere om-
„ nes, fugere, vitare contagium; exponere
„ suos impie: quasi cum illo peste morituro,
„ etiam mortem ipsam aliquis posset exclude-
„ re. Jacebant interim in tota civitate, non
„ jam cadavera plurimorum, & misericor-
„ diam in se transeuntium contemplatione sor-
„ tis mutuæ flagitabant. Nemo respexit aliud
„ præter quam lucra crudelia. Nemo similis
„ eventus recordatione trepidavit: nemo fe-
„ cit alteri, quod pati voluit. Quid inter
„ hæc egerit Christi & Dei Potifex, qui Pon-
„ tifices Mundi hujus tanto plus pietate,
„ quanto religionis veritate præcesserat, sce-
„ lus est præterire. Agregatam primò in loco
„ uno plebem de misericordiæ bonis instituit,
„ docens divinæ lectionis exemplis, quan-
„ tùm ad promerendum Deum prosint officia
„ pietatis. Tunc deinde subjungit non esse
„ mira-

Christiano. Si autem hoc audito abire maluerint, nec illis manendum est, qui propter illos manebant; quia ibi jam non sunt propter quos manere adhuc debeant.

XIV. Quicumque igitur isto modo fugit, ut Ecclesiæ necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit quod Dominus præcepit, sive permisit. Qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus. Hæc tibi, quia me consuluisti, frater dilectissime, qua existimavi veritate & certa charitate rescripsi; sed ne meliorem, si inveneris, sequa-

Totius Epistolæ Epilogus.

„ mirabile, si nostros tantùm debito charitatis „ obsequio foveremus: Eum perfectum posse „ fieri qui plus aliqid publicano vel Ethnico „ fecerit. Distributa sunt ergo continuò pro qualitate hominum atque ordinum „ ministeria. Multi qui angustia paupertatis „ beneficia sumptus exhibere non poterant, „ plus sumptibus exhibebant; compensantes „ proprio labore mercedem divitiis omnibus „ cariorem. „ Sic similibusque verbis tam boni Sacerdotis prosequitur exponere pietatem, qua factum est ut viventium oculi non paterentur infernæ sedis horrorem; ac talibus excubiis providentiæ vigilans fecit, ne omnibus tetram civitatis faciem relinquentibus, multos exsules deserta respubica, ac destituta patria sentiret.

ſequaris ſententiam, non præſcripſi Meliùs tamen quod in his periculis faciamus, invenire non poſſumus, quàm orationes ad Dominum Deum noſtrum, ut miſereatur noſtri. Quod ipſum, ut ſcilicet Dei Eccleſias non dëſererent, Dei dono nonnulli prudentes & ſancti Viri & velle & facere meruerunt, & inter dentes obtrectantium a ſui propoſiti intentione minimè defecerunt.

CAPUT XXXI.

Mors, & ſepultura.

Sane ille ſanctus in vita ſua prolixa pro utilitate ac felicitate ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ divinitus condonata, (*l*) vixit annis

(*l*) In quibusdam Mſſ. additur: *Nam vixit annis dicere nobis:* Omiſſo *autem.* Verba Poſſidii de annis Clericatus vel Epiſcopatus Auguſtini mutuatus eſt auctor verbis Chronici apud Theodoricum Ruinart pag. 113. hiſtor. perſ. Vand. quem ad ſextum usque ſeculum perveniſſe ex iis quæ narrat, opus eſt: *Beatus Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus*, inquit, *& omnium Doctor eximius Eccleſiarum, ne civitatis ſuæ ruinam videret, tertio obſidionis ejus menſe migravit ad Dominum* 5. *Kal. Sept. quum vixiſſet annos* 76. *in clericatu autem, id eſt Epiſcopatu*, vel ut legit Codex Monaſterii S. Martini a Campis *vel Epiſcopatu, annos* 40. *compleſſet.* At noſtrum Poſſidium ſcripſiſſe, S. Virum in Clericatu vel Epiſcopatu degiſſe vitam

annis 76. in Clericatu autem, vel Epiſcopatu annis ferme 40. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia conſueverat, poſt perceptum baptiſmum, etiam (*m*) laudatos Chriſtianos, & Sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod & ipſe fecit, ultima qua defunctus eſt ægritudine: Nam ſibi juſſerat Pſalmos Davidicos, qui ſunt pauciſſimi de pœnitentia, ſcribi, ipſosque quaterniones jacens in lecto contra parietem (*n*) poſitos diebus ſuæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter ac ubertim flebat: & ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem quàm exiret de corpnre, a nobis poſtulavit præſentibus, ne quis ad eum ingrederetur, niſi iis tantum horis, quibus medici ad inſpi-

Pſalmi Pœnitentiales.

L 4

tam *annis ferme* 40. conſentientibus Mſſ. nullum prorſus eſt dubium. Et ſane quum Presbyter ordinatus fuerit ann. Chriſti 391. circa quadrageſimam, diemque clauſerit extremum 28. Auguſti ann. Chr. 430. non inveniuntur completi anni 40. ſed deficientibus menſibus aliquot, anni ferme quadraginta. Eum tamen anno Sacerdotii ſui 36. mortuum eſſe contendit Baronius ad ann. Chr. 430.

(*m*) Cod. Reg. 541. *Etiam laudabilis converſationis Chriſtianos.*

(*n*) Cod. Vat. 1188. *In lecto contra parietem poſito.*

inſpiciendum (*o*) intrarent, vel quum ei refectio inferretur. Et ita obſervatum ac factum eſt: & omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei usque ad ipſam ſuam extremam ægritudinem impraetermiſsè, alacriter, & fortiter, ſana mente, ſanoque conſilio in Eccleſia prædicavit. Membris omnibus ſui corporis incolumis, integro adſpectu atque auditu, & ut ſcriptum eſt, nobis adſtantibus, & videntibus; & (*p*) cum eo pariter orantibus, obdormivit (*q*) cum patribus ſuis,

Obiit S. Doct. an. Chr. 430. 28. Aug.

(*o*) Mſſ. tres: *Intrabant*, & unus ſequitur *vel quum ei refectio offerebatur.*

(*p*) Noſtri omnes Mſſ. omittunt, *cum eo pariter.* PP. S. Mauri.

(*q*) Hîc edit. Lovan. addit, *in pace.* De morte Auguſtini hæc habet Proſper in Chronico ad Conſ. Theodoſii XIII. & Valentini III. *Auguſtinus Epiſcopus per omnia excellentiſſimus moritur* 5. *Kal. Septembris, libris Juliani inter impetus obſidentium Vandalorum, in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & glorioſè in confeſſione Chriſtianæ gratiæ perſeverans.* Tanti Doctoris mortem accidiſſe ann. Chr. 430. 28. Auguſti, nunc extra dubitationis aleam eſt; quandoquidem anno præcedenti Epheſini Concilii celebrationem a Proſpero aſſignatur. Et omnibus notum eſt hanc Synodum adversùs Neſtorium Baſſo & Antiocho Coſſ. ann. 431. celebratam fuiſſe. Quod luce clariùs conſtat ex Epiſtola etiam Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi

suis, (r) enutritus in bona senectute, & nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo obla- Sacrificium pro mortuo oblatum.

L 5

scopi ad Theodosium missâ, in qua dum excusat ob barbarorum irruptiones, nullum ex Afris Episcopis Sancto potuisse adesse conventui, ait, Augustinum jam e vivis ereptum anno præcedente; qui per Theodosii sacram specialiter evocabatur. Data est autem Capreoli Epistola ann. Chr. 431. per Ebagnium ante Pascha teste Liberato Diacono cap. 5. Breviarii. „ Quum Theodosius sacram scriberet, *inquit*, „ ad universos Episcopos ut Ephesum convenirent, & conferrent de Nestorii libris & „ Cyrilli judicio, scripsit Imperator sacram „ & beato Augustino Hipponensi Episcopo „ per Ebagnium Magistrianum, ut ipsi Concilio præstaret sui præsentiam. Qui Ebagnius „ veniens Carthaginem magnam audivit a Capreolo ipsius urbis Antistite, beatum Augustinum ex hoc Mundo migrasse ad Dominum; „ acceptisque ab eo ad Imperatorem litteris „ loquentibus de obitu beati Augustini, Constantinopolim, unde venerat, rediit. „ Consulat Lector Arnaldi Pontaci Vasatensis Episcopi notam in Prosperi nuper laud. locum ex Chronico, ubi disserit de anno, quo tanti Doctoris mors contigit.

(r) Germanensis Codex præterit, *enutritus*: & infrà loco *& nobis coram pro ejus*, præfert *& a nobis pro ejus*. Cod. Reginæ *& coram nobis positis*.

Petrus Mediolanensis Archiepiscopus, cui fortè temporis decursu Oldradi fuit nomen vel cogno-

oblatum est, & sepultus est. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Dei non habuit. Ecclesiæ Biblio-

cognomen appositum in Ep. ad Carol. M., quam suis annalibus inseruit Baron. ad an. Ch. 725. testatur a Possid. ipso oblatum fuisse pro Augustin. Sacrificium, quod valde verosimile est, quum & præsens tunc esset funeri, & religiosè ita illi parentavit, cum quo per annos 40. familiariter, & absque amara ulla dissensione Dei dono dulciter vixit: „ Quum, *inquit Petrus*, suo creatori animam reddidisset in „ civitate Hipponensi, & in suo Episcopatu, „ in Ecclesia Cathedrali S. Protomartyris Ste- „ phani, per manus suorum discipulorum fuit „ tumulatus: & pro illius anima oblatum est „ salutare sacrificium a S. Possidonio illius di- „ scipulo, tunc Episcopo Calamensi: ubi per „ multos annos illius corpus in pace requie- „ vit. „ Ex Possidii autem verbis eruere licet eâ tempestate sacrificium offerri consuevisse pro defunctis; immo ex Ep. Cypriani 1. Edit. Angl. Pamelii verò 66. constat viguisse eumdem hunc sacrum ritum, nedum Cypriani ævo, verùm & ante: Differens enim de Victore Geminio, qui moriens Faustinum Presbyterum tutorem reliquerat, præcipit Cyprianus *ne fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur: Id enim,* inquit, *ab antecessoribus Episcopis constitutum fuerat, ut si quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret*, NON OFFERRETUR PRO EO, NEC SACRIFICIUM *pro dormitione ejus celebraretur.*

Præter sacrificium canebantur in Africa etiam hymni in depositione defunctorum, ut majori

Bibliothecam, omnesque Codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat. Si quid verò Ecclesia, vel in sumpti- Bibliotheca.

majori cum solennitate ad sepulchra ducerentur; quod affirmat Victor Vitensis testis omni exceptione major lib. 1. hist. persec. Vandal. num. 5. dum a Genserici sævitia illata mala deplorat: „ Quis verò sustineat, *ait*, atque „ possit sine lacrymis recordari, dum præciperet nostrorum corpora defunctorum, sine „ solennitate hymnorum cum silentio ad sepulturam perduci? „ Quæ sepultura etiam pro fidelium multitudine erat in loco sacro. Unde Optatus Milevit. lib. 6. de schism. Donatist. num. 7. sic amarè Donatistas accusat: „ Quid referam etiam illam impietatem de „ vestra conjuratione venientem, quia ad hoc „ Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis „ cæmeteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica; ut terreatis vivos, „ malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. „ Hæc si diligenter ab Hæreticis qui nostrum præsens dehonorant seculum, corde sereno appenderentur, non tantas Catholicæ Ecclesiæ excitarent tragædias, struerentque calumnias de sacris cæremoniis, quas nunc adhibet in mortuorum depositione, ut ostendat, quanto in honore apud Deum sint animæ sanctæ.

Sed quoniam magni momenti res est, libet in ea illustranda adhuc paulisper immorari, præsertim quum ex sacrificiis & oblationibus quæ pro defunctis in Ecclesia frequentabantur, liqueat animas purgatorii igne expiari. Hilarius Arelatensis in vita sui decessoris & propinqui

pinqui Honorati cap. 6. num. 28. Patrocli Arelatenſis Epiſcopi notans & taxans avaritiam, hæc de pia Honorati induſtria habet; quibus probatur eleemoſynas pro defunctis & oblationes illis refrigerio eſſe. *Quæ otiosè*, ait, *diu congeſtæ fuerant* (divitiæ) *dignis tandem uſibus deputavit : dudum defunctus theſauros ſuos miſit : iterumque, qui obtulerant*, OBLATIONUM SUARUM REFRIGERIA SENSERUNT. En animæ quæ in Purgatoriis flammis de ſacrificiis aliisque piis operibus refrigeria experiuntur.

At intercedit Joannes Clericus in notis ad cap. 5. Ep. 1. Severi Sulpicii, & ait: „ temporibus Sulpicii (& ſic etiam Hilarii qui „ paullo poſt floruit) opinio de purgatorio „ igne poſt vitam tolerando, ſubire incipiebat „ hominum animos, non quaſi fidei Chriſtianæ „ certum & neceſſarium caput, ſed dumtaxat „ ut credibilis ſententia.

Verum hæc præterquam ex dictis jam falſitatis revincuntur, nonne exactis S. Perpetuæ, quæ paſſa eſt ann. Chriſt. 202. aut 203., ſicque duobus ante Sulpicium ſeculis, conſtat animas purgatoriis abſumi flammis, a quibus ope orationum Eccleſiæ liberantur? Loquens enim SS. Martyr divinis dignata revelationibus de germano fratre Dinocrate, qui ſeptennis e vita deceſſerat ait: *Pro hoc ego orationem feceram*. Et iterum: *confidebam profuturam orationem meam labori ejus, & orabam pro eo omnibus diebus*. Et num. 8. ſignanter ait: *Tunc intellexi* TRANSLATUM EUM ESSE DE POENA. „ En animam, *rectiſſimè concludit Holſtenius*, a purgatoriis flam„ mis liberatam divina revelatione intelligit S. Per-

ſumptibus, vel in ornamentis habuit, (*s*) fidei Presbyteri, qui ſub eodem domûs Eccleſiæ curam gerebat, dimiſit. Nec ſuos conſanguineos, vel in propoſito vel extrà conſtitutos, in ſua vita, & morte vulgi more tractavit: quibus, dum adhuc ſupereſſet, id ſi opus fuit, quod & ceteris, erogavit, non ut egerent. Clerum ſufficientiſſimum, & monaſteria virorum ac feminarum (*t*) continentium cum ſuis præpoſitis plena, Eccleſiæ dimiſit, unà cum bibliothecis, libros & tractatus vel ſuos vel aliorum Sanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantusque in Eccleſia fuerit noſcitur, & in his ſemper vivere a fidelibus invenitur. Juxta quod etiam ſecularium quidam Poëtarum, ſuis jubens quo ſibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, (*u*) programmate finxit, dicens:

Monaſteria virorum & feminarum.

Epitaphium poetæ cujusdam.

Vivere

„ S. Perpetua. Unde non ſupereſt hæreticis ex-
„ ceptio de veritate, ac fide horum Actorum
„ poſt tot ac tam luculenta teſtimonia omnis
„ generis ſcriptorum ipſa laudantium, quæ
„ huic volumini adjunximus.

(*s*) Sic Mſſ. At editi *fideli Presbytero.*

(*t*) PP. S. Mauri, *continentibus cum ſuis &c.*

(*u*) Editi pro epigrammate, ut præfert etiam Codex Reginæ 541. At Mſſ. PP. S. Mauri *programmate*: & ex iis pleriſque *finxit dicens.*

Vivere poſt obitum vatem vis noſſe viator,
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea eſt.

Et in ſuis quidem ſcriptis ille Deo acceptus & carus Sacerdos, quantùm lucente veritate videre conceditur, rectè ac ſanè, fidei, ſpei, & charitatis Catholicæ Eccleſiæ vixiſſe manifeſtatur: quod agnoſcunt, qui eum de divinis ſcribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuiſſe, qui eum & loquentem in Eccleſia (*x*) præſentem audire; & videre potuerunt, & ejus præſertim inter homines converſationem non ignorave-
Matt. 13. runt. Erat enim non ſolùm eruditus
v. 52. ſcriba in regno cœlorum, de theſauro ſuo proferens nova & vetera, & unus negotiatorum, qui inventam pretioſam margaritam, quæ habebat, venditis, comparavit: Verùm etiam ex iis ad
Jacobi 2. quos ſcriptum eſt: *Sic loquimini, & ſic*
v. 12. *facite*: Et de quibus Salvator dicit:
Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit ſic homines, hic*
v. 19. *magnus vocabitur in regno cælorum.*

Peto autem impendio veſtram charitatem, qui hæc ſcripta legitis, ut mecum

(*x*) Germanenſis Mſſ. *audire præſentaliter & videre,* Cod. Reg. 541. poſt legit, *& ejus præſentem* loco *præſertim.*

cum omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumque benedicatis, qui tribuit mihi intellectum, ut hæc in notitiam & præsentium & absentium præsentis temporis & futuri hominum, & vellem deferre, & valuissem, & mecum ac pro me oretis, ut illius quondam viri; cum quo ferme annis quadraginta Dei (z) dono absque amara ulla dissensione familiariter, ac dulciter vixi, & in hoc seculo æmulator & immitator exsistam, & in futuro omnipotentis Dei promissis cum eodem perfruar, (*a*) Amen.

(*z*) Fossatensis Mss. *Dei domo.*

(*a*) In Cod. Reginæ 541. hic additur finis cum nonnullis aliis verbis ad translationes corporis S. Doctoris pertinentibus: *Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & gloriatur, & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.* Insititius hic finis est, nec ad Possidii pertinet textum. Notum est enim Ecclesiasticæ antiquitatis studiosis, in fine tum sermonem, tum Vitarum, quæ a Veteribus editæ sunt aliqua addi & inseri, sicut & frequenter detruncari, tum pro dicentis, scribentisque arbitrio, ac pro solennitatis ratione, tum pro temporum necessitare. Quod quum accuratè non advertitur, in graves ac turpes errores impellit homines ceteroqui non imperitos. Cujus rei insigne, & si funestum habemus exemplum in Joanne Dallæo, qui abusus est Serm. 4. de quadragesima S. Leonis contra quadragesimale jejunium; dum

non

non advertit adjectum fuiſſe ſermoni finem; nec eſſe S. Pontificis, hinc in antiquioribus & melioris notæ Codicibus non comparet. Sed audax homo ac ad carpendum promptus avidè mendoſum arripuit locum, & tamquam ferox Victor, violenter ſurrexit in doctiſſimum ac bonorum omnium memoriâ dignum Cardinalem Bellarminum, quem dirâ inclementia proſcidit. Sed deſperatæ cauſſæ triumphum ante victoriam canens, nihil conſequutus eſt, niſi ut ridendum ſe miſerandumque cordatioribus objiceret.

Finis Vitæ S. Auguſtini.

DISQUISITIO CRITICA

IN QUA

VARIA DICTA, GESTA, AC VISIONES FALSO, AUT MINUS SOLIDE

S. AUGUSTINO

EPISCOPO HIPPONENSI AC E. D.

Attributæ examinantur

Ad cautelam quorundam Concionatorum conſcripta

A

Quodam Canonico Regulari Congreg. Lateranenſis.

M

PRÆFATIO.

Honorificum laudandi Ecclesiæ triumphantis divos Cœlites sacrorum Oratorum munus est, & quidem omnium prudentum judicio grandis meriti, ac gravissimi ponderis. Laudem merentur sane maximam, qui pro occasione sibi oblata hanc provinciam paribus tanto oneri humeris, debita cum diligentia, ac eruditione Ecclesiastica probe instructi, puro corde ac defœcatis labiis veritati non vanitati litantes, in ostensione spiritus & cum decore sustinere satagunt; quemadmodum omni vituperio, ac pessima mercede digni merito censendi sunt, qui Ecclesiastici sui characteris, Legationisque tam sublimis obliti absque con-

condigna præparatione, zelum duntaxat ineruditum ſecum afferentes in Cathedras irruunt, Divosque, qui apud Deum nimis honorificati ſunt, non niſi falſis, aut ſuſpectis, vel omnino ementitis laudibus, ex miſeris Legendariorum Rhapſodiis ſine lance ſani judicii corraſis, onerant potius, quam ornant. Ludovicus Antonius Muratorius, immortalis famæ vir, ac litterarii Orbis primæ magnitudinis ſtella, tractatum edidit *de Populari Eloquentia contra ſublime loquentes in Cathedra*, ex Italica lingua in Latinam elegantiſſime a D. Gregorio Trautweinio Exempti Collegii Canonicorum Regularium S. Auguſtini ad Inſulas Wengenſes Ulmæ Decano traductum, ac Auguſtæ Vindelicorum ſumptibus Joſephi Wolffii anno 1757. editum, in quo capite 13. optimis legibus hujusmodi Encomiaſtas inſtruit, atque a contrariis vitiis (utinam tam frequentia non eſſent, quam multi opinantur, ac ſibi perſuaſum habent) Eosdem graviſſime dehortatur.

tatur. Citato capite *de Panegyricis Sanctorum* ita loquitur: *En ſtationem! en locum! ubi ſacrorum Oratorum claſſis propemodum univerſa pro vigore potentis ingenii, ac ubertate phantaſiæ laxat carbaſa; an, ut ſtellis propinqua oſtentet merita Servorum Dei? an ad luculenter oſtentandam, qua mens præter uſum, & modum exultat, propriam ingenii felicitatem? hic Eloquentiæ explicatur ſumptuoſiſſimus quisque apparatus. Hic flores, hic gemmæ coacervantur in ornamentum coronæ, quæ Beatum Illum Romæ cœleſtis Quiritem cohoneſtat, accumulandum. Utinam nihil ſine lance Judicii, & pondere rationis! Extitere (nec deſunt hodie magno numero, & digito monſtrandi) Encomiaſtæ defæcata ſapientia, qui in contexendis Elogiis Sanctorum, diligenter ab immoderatione caverunt ſibi, numquam fini primario non intenti, qui huic generi ſcriptorum præfigitur.*

Ecquis autem hic finis? nimirum, ut per exempla Sanctorum ad charitatem Dei & proximi, ad exercitationem

tionem Christianarum virtutum, sive auscultantes, sive legentes traducantur. Verumtamen extant eorum quoque de numero, ac nimis quidem multi, quibus vix tantillum istud pensatur consilii. Totus quantus illorum cogitatus in pervestigandis, adoptandis clarissimis quibusque coloribus, quibus Heroëm suum inter Sanctos magnum, aut adeo ante quoscunque depingant majorem. Minima quæque actio Illius, præcelsa quædam eminentia est, & illustris virtus. Amplificantur oratorio penicillo, quæ vel altum Historia reticuit, vel abscissa aridave narratione complexa est. Nisi hoc modo fuit operatus Sanctus, quo Oratori videtur operandum fuisse, debuit ita operari; tanta est Oratorum istorum venia, tam liberalis gratia!

Eadem ratione ad comparationem Sancti sui cum aliis e cætu Sanctorum procedunt. Quid? quod nimiopere dilecti hujus Capitis actus, & gesta n fronte Operum ipsorum Redemptoris nostri collocant, efficientes ve-

lut manu palpandum, Heroëm, cui favent, pluribus parasangis præcessisse? Non audent quidem aperte istud jactare. Credideris tamen, in commune persuadere velle, illum Deum quemdam esse, certe largam Divinitatis in Eo residere partem, Omnipotentiam præcipue. Haud ferme invenias, qui istius subsellii Encomiastas non audierit. Mihi certe audire contigit plus satis. Deum bonum! quam exagarationes impotentes, turbulentasque! quam audacter, quam temere reflexos sensus, quas nugas, & ineptias auribus hisce vel unica Oratione horrorem attulere non semel! Intolerabilem ignorantiam, si credant probe, & bene dicere! effrontem emeritatem, si agnoscant, se dicere perverse, & male! omnium longe maxime persuasum mihi, Sanctos Dei, inexplicabilium bonorum Paradisi possessione quantumlibet evectos, proprii sui nihili nullo unquam tempore oblivisci. Ergo laudes tam intempestivas, inconditasque non probant. Non probant

autem?

autem? imo abhorescunt, detestantur. Apud ventosa viventium ingenia promittat sibi bonam Orator talis gratiam; ab ipsomet Sancto non nisi malam exspectare debet, ut cui interris perpetuæ abominationi fumi, & bullæ fuerunt, & ad cœlos comes humilitas.

Hæc laudatissimi scriptoris Itali sententia est, quam plurima Eruditorum pars etiam in Germania suo approbabit, calculo. Longiorem hunc locum excerpere placuit, ac præsenti Disquisitioni, ceu scutum Ajacis, prætendere. Hæc verba stimulos, ac animum mihi indidere, examinandi quædam Dicta, Apparitiones, aut Gesta, quæ minus solide maximo Ecclesiæ Doctori Augustino, a nonnullis elapsi, & labentis seculi Scriptoribus ac Encomiastis, quorum certe non est parvus numerus, tribui mihi semper est visum. Præsertim occasionem optimam adesse ratus sum, postquam Bibliopola noster novam Editionem

Vitæ S. Auguſtini, a Poſſidio Ejus Diſcipulo, ac Calamenſi Epiſcopo, conſcriptæ, notisque Doctiſſimi D. Joannis Salinaſii Neapolitani Can. Regul. Lateranenſis illuſtratæ adornandi conſilium, a me ſuggeſtum, cum gaudio in ſe ſuſciperet. Eas autem duntaxat Viſiones, aut Affectus, Dicta, aut facta diſcutienda ſelegi, quæ contradictioni, aut dubitationi Virorum Eruditorum fuere obnoxia, & communiter in Sancti hujus Antiſtitis ſolennioribus feſtis rudi populo a Concionatoribus proponi, ac inculcari noveram (ac ſi omnis alia illos deſtitueret, Auguſtinum laudandi materia) de quibus tamen omnibus in prævio S. Poſſidii Commentariolo altum regnat ſilentium. Facile perſuaderi me patiar, non omnes, quorum oculos ſubibit hæc Disquiſitio, approbaturos hunc laborem meum. Qui in publicum prodit, vulgi Judicia non curet ; multi in S. Eccleſiæ Doctorem injurium me dicent , ac intemperantioris Critices reum. Verum duplex hoc cri-

crimen a me quam longiſſime abeſſe puto. Laudare Sanctos falſis, ac ementitis Elogiis, nil aliud eſt, quam glorioſam illorum faciem luto conſpergere, ac defœdare ſordibus. Qui has abſtergit, & utitur ſpongia, ſcelusque hujusmodi maleferiatorum laudatorum detegit, nullam ſanctis cæleſtibus infert injuriam, ſed etiam inſigne iis, ac debitum præſtat obſequium. Dum falſo Hipponenſi Antiſtiti attributis Encomiis ſpongiam induco, ſimul veras Prærogativas, ac genuina Decora detego, ac publicam in lucem pono, quibus ſcatet S. Poſſidii pretioſum Opuſculum; dum januam ac rimas inutiles inſulſis, & abſurdiſſimis, qui in aliquorum Authorum ſcripta irrepſere, fabulis obſtruo, ſimul rivos, ac copioſiſſimos fontes limpidiſſimarum Laudum in genuinis maximi Eccleſiæ Doctoris Operibus oſtendo, ex quibus plena manu haurire poterunt ſacri Oratores, ad liberaliter irrigandos ſuos Panegyricos, nec umquam ipſis hærebit aqua,

aut deficiet ad ſatiandam ſitim tum Doctorum, tum rudium, qui aurem avidam ipſis præbent. Cum veritate itaque nemo criminabitur hoc Scripto in S. Legislatorem, ac Patriarcham meum aliquid me tentaſſe injurium, cujus, honor Judicium diligit, nec falſo gaudet honore, juſtis nunquam ſatis deprædicandus Encomiis. Verbis ipſiusmet S. Doctoris uti mihi liceat, quibus Lectores ſuos Libro 1. de Trinitate cap. 3. humillimus Præſul alloquitur: *Quisquis hæc legerit, ubi certus eſt, pergat mecum, ubi hæſitat, quærat mecum, ubi errorem ſuum agnoſcit, redeat ad me, ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur ſimul charitatis viam tendentes ad eum, in quo dictum eſt:* Quærite faciem Ejus ſemper.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An S. Augustino tribuendus sit affectus: si ego Augustinus essem Deus, & tu Deus esses Augustinus &c.

§. I.

Ex nullo sufficienti fundamento hic Affectus S. Augustino tribuitur.

Quantæ molis sit, radicatas semel Opiniones, ac vulgares traditiones, si per unum alterumve Seculum invaluere, animis hominum, etiam Illorum, qui supra simplicium sortem sapiunt, & sano pollent Judicio, eximere, neminem Litteratorum fugit. Vix conspecto quæstionis hujus titulo, clamabunt plures ex Concionatorum cœtu numerosissimo: *Servate mihi meum Adonidem.* Inter pulcherrima Augustini charitate erga Deum inflammatissimi decora hunc Affectum erga Deum pertinere censentes, suas ex cathedra Declamationes illo, ceu pretiosissima gemma

gemma exornare ſolent. Novi etiam Oratores præſtantiſſimos, qui eloquentia, arte, ac eruditione minime vulgari præditi, piaculo ſibi ducere viſi ſunt, ſi prætenſum hunc amoris actum, etiam poſt depictam vivaciſſimis coloribus charitatem Auguſtini præteriiſſent ſilentio. Cujus rei veritatem quisquis tot impreſſas Panegyres inſpiciet, nemo vocabit in dubium. Quid mirum, quod etiam in aliquorum Sanctorum Libros, qui poſterioribus hisce ſeculis floruere, irrepſerit ex populari traditione hic ortus error, ex Theologis quoque nonnulli ſint, qui Affectum, toties e ſacris pulpitis publicatum, nemine, aut fere nemine contradicente, jam civitate donatum credunt, locum illi inter argumenta theologica aſſignant, & de poſſeſſione ſua, ceu juſto titulo acquiſita, ex Cathedris, & Doctorum Libris deturbare præſumere non audent.

Omnibus Viris litteratis nota eſt de Amore deſintereſſato controverſia, quæ ſub elapſi ſeculi finem Doctiſſimos Epiſcopos in Gallia, atque ante annos aliquot præſtantiſſimos in Germania noſtra Theologos colliſerat. Hos inter eminent Reverendiſſimus S. R. I. Præſul Roggenburgenſis, profundiſſima ſcientia, ac omnigena eruditione ornatus; dein

dein vero Clarissimus quidam ex sacro Benedictinorum Ordine SS. Theologiæ Profess. Emeritus, ex Doctiss. suis Lucubrationibus notissimus. Hic posterior in suo pro *amore desinteressato* (quem R. D. Eusebius Amortus Ord. nostri Canonici immortale decus, ob damnatas Fenelonii, Cameracensis Episcopi Propositiones, ex Theologorum scholis proscribere conatus est) *Tractatu Apologetico*, magna fiducia sequentia S. Franc. Salesii verba suo Antagonistæ objicit: *Notes, velim, desiderium hoc, quod concipitur per imaginationem rerum impossibilium posse non nunquam inter sensus insigniter spirituales, & fervores extraordinarios usurpari; & hoc exemplo S. Augustini, quem ferunt, tali modo sæpe fecisse: Mi Deus, ego sum Augustinus, & tu Deus; verum, si, quod tamen non est, nec esse potest, essem Deus, & tu Augustinus, vellem tamen ego mutando tecum conditionem esse Augustinus, ut tu esses Deus*, S. Salesius lib. 5. c. 6. de amore Dei. Respondit ad hæc, ut assolet, semper solide, Amortus: *quod S. Salesius illum Affectum, quem imperiti quidam D. Augustino affingunt, laudet non reperio; id solum, S. Salesius. lib. 5. cap. 6. dicit, quod hujusmodi tendentiæ phantasticæ possint esse conjunctæ cum bono affectu,*

fectu, non, quod ipsæ sint bonus affectus. Notes, velim, inquit, *desiderium hoc, quod concipitur per imaginationem rerum impossibilium, posse inter sensus insigniter spirituales, & fervores extraordinarios usurpari, exemplo S. Augustini, quem FERUNT tali modo sæpe fecisse &c.* Recte dicit S. Salesius, *FERUNT; certe in toto Augustino, cujus omnia authentica Opera attente, de verbo ad verbum legi, non extat: Imo sentio potius cum S. Theresia, quod ille Affectus, a quocumque demum primo confictus fuerit, sit SANCTA INSANIA.* In Hallucinat. Animadvers. LXXVI. Hanc animosam æque, ac solidam responsionem laudatus supra Benedictinus Theologus in *Responsione Apologetica* pag. 201. sic conatur evertere: *semper vera falsis misces; ut Lectori umbram facias, & speciosius decipere possis; quis denique tibi securam fidem adhibeat? Dicis in primis, quod ejusmodi tendentiæ phantasticæ, ut legitur, de S. Augustino, possint esse conjunctæ secundum S. Salesium, bono affectui; non, quod sint bonus Affectus, injuriam facis S. Salesio: non illas tendentias vocat phantasticas, sed ait, quod possimus sic tendere: Domine, nullius rei indiges; & ex consequenti bonorum meorum non eges: at, si per imaginationem rerum impossibilium, possem cogitare, te aliqua re indigere, num-*

nunquam cessarem, illam tibi exoptare. Jam hæc tendentia non est phantastica, sumpta tuo sensu, pro affectu non bono, & erroneo, sed est verissima, & sanctissima tendentia, utens imaginatione rerum impossibilium, per modum medii ad affectum conditionalem exprimendum. Carpit postea Amortum, quod aliqua verba in textu S. Salesii, quæ judicabat, non esse necessaria, omiserit, quæ tamen verba in Responsione Amorti, ne nodum in scirpo quæramus, supplevi. Dein, postquam iterum Augustini affectum recitasset, hæc subjungit: *videsis iterum, qua fidelitate agas cum S. Augustino, ipso Patriarcha tui Ordinis; vocas hunc Ejus Affectum phantasticum, & omnino insaniam; denique ipsi penitus abnegas ex inani prorsus fundamento, ideo nempe; quia in Libris Ejus non legisti: an non satis est, quod sit in Ejus vita, & esse dicat vir veracitate, & sanctitate tam insignis, qualis est S. Salesius, dicens, Eum non semel, sed sæpe hunc actum habuisse? sed ais: S. Theresia hunc actum vocat sanctam insaniam; sed non tuo sensu; nam illa intelligit sanctum excessum divini amoris, & fervorem extraordinarium &c.*

Ea in hac Responsione non tangam, quæ quæstionem Juris, & forum theologicum respiciunt, sed ea tantum, quæ ad quæstionem facti, & ad tribu-

nal Eorum, qui de rebus hiſtoricis judicant, pertinent. Tribus movetur Clariſſimus iſte Theologus ad hunc affectum infallibiliter Auguſtino adjudicandum. Primo, quia ex *inani* prorſus *fundamento* illum Auguſtino abnegari ab Amorto contendit; quia in Libris Auguſtini illum non legit. Quare autem inane hoc fundamentum vocat? Legitne Doctiſſimus Adverſarius hunc affectum in Operibus Auguſtini? haud puto; quotquot enim de Illo ſcribunt, vel expreſſe Illum inter Opera S. Doctoris non reperiri, ultro fatentur, aut allegare illa non audent. Si tamen legit, nominet Opus, tractatum indicet, explicet folium. Secundo hunc Actum contineri aſſerit in vita Auguſtini, *an non ſatis eſt*, inquiens, *quod ſit in Ejus vita?* ſatis hoc foret; oſtendat autem dicti ſui veritatem Amorti Adverſarius. Vitam Auguſtini ſcripſit S. Poſſidius, Ejusdem diſcipulus; in hac autem nec jota apparet. An reperitur in vita, quam ex Operibus Auguſtini collegerunt Benedictini ex Congregatione S. Mauri? an in vitæ Auguſtinianæ prævio Commentario, quem ſummo labore conſcripſere Biographi famoſiſſimi Antverpienſes Jeſuitæ? Legiturne hic affectus in vita Reverendiſſimi noſtri Cæſaris Benevenuti de Crema, Can. Regularis

Late-

Lateranensis, Eminentissimi D. D. Cardinalis Francisci Barbarini Theologi, multo labore exactissime conscripta? Omnes autem hi viri rerum historicarum peritissimi, in antiquorum libris optime versati, altum silent. Si ad levioris notæ vitæ Augustinianæ scriptores, ad simplices Legendarios eorumque miseras Rhapsodias recurrat, utique non sufficiet, hunc insanum Affectum in illis legere, sed probe considerandum prudenti Theologo, quo fundamento illud asserant; quod infra præstabimus. Tertio tandem argumentorum suorum vim, ac robur ponit in authoritate S. Salesii, per hæc verba, an non satis est, *quod hæc dicat vir, veracitate, & sanctitate* tam insignis, qualis est S. Salesius, dicens: *Eum non semel, sed sæpe hunc actum habuisse. Ne quid nimis*, adclamandum puto, ut sua D. Salesio illæsa stet authoritas. Prudentissima fuit Reflexio Amorti, S. Antistitem non ex ore proprio, & assertive loqui, sed duntaxat ex relatione aliorum; unde inquit, *ferunt*. Si hac loquendi formula utantur novarum rerum scriptores publici; satis indicant, se a Lectoribus suis plenam fidem non exquirere, sed cuivis esse liberum, assensum suspendere. Sed nec veracitas, nec sanctitas Salesii in hac quæstione morari pruden-

tes debet; audiamus enim verba Baronii ad annum 604. num. 4. *in his, quæ rerum geſtarum veritatem ſpectant*, inquit, *frequenter accidit, falli etiam prudentiſſimos ob idque nihil eſt, ut quantævis ſanctitatis, ſive Doctrinæ cujuslibet prærogativa viri, quod non factum eſt unquam, ut factum aſſerentis, ipſi veritati poſſe præjudicium afferre: cum in his, quæ ſunt Facti, non Dogmatis, potuerit quisque Sanctiſſimus, atque Doctiſſimus fidei Orthodoxæ profeſſor, atque defenſor aliquando falli.* Quod ad objectam quoque veracitatem, & ſanctitatem S. Saleſii hic valet. Sufficient iſta pro aliquali demonſtratione, quam altas radices vulgaris hæc traditio, etiam in animis prudentiſſimorum, in Germania ſaltem, Theologorum fecerit. Ut autem vir clariſſimus clarius cognoſcere valeat, quod ad veritatem ſolidè demonſtrandam minime ſatis ſit, ut factum aliquod contineatur in vita alicujus ſancti, ante plura ſecula defuncti, ab authore recentiore conſcripta, expendamus nunc ad trutinam quanti ponderis in hac quæſtione Facti ſit Lancilloti, viri absque dubio Doctiſſimi ejusque ſequacium, authoritas.

§. II.

§. II.

Authoritas Lancilloti, & aliorum, pro hoc affectu.

Tantum cito ad rem! aliàs:
patientia rupta
Dissilit in partes.

Non quidem mea, sed, ut opinor, Illorum, quibus ob innata per vulgarem hanc traditionem fortia præjudicia jam movi stomachum; magìs audire gestient Lancillotum, quàm me. Satisfaciam ergo impatienti desiderio, & fideliter exscribam totam rei seriem ex hoc Augustini Biographo, quam in forma tam extensa frustra apud alios requires.

A non paucis, scribit Lancillotus vit. August. l. 3. c. 42. *refertur, & ad Classicos Authores legisse me memini, licet in Operibus Ejusdem non deprehenderim, Augustinum quodam tempore quasi de cœlo, vocem Dominicam audivisse; quæ, cum, velut alterum D. Petrum tribus vocibus interrogavit in hunc modum: Augustine, amas me? respondit Ille: Domine, tu nosti, quia amo te. Agedum, inquit, edissere, quantopere me ames; subjecit Augustinus: si quidem, Domine, omnia mei corporis ossa forent lampades aureæ, & sanguis omnis qui per corpus diffusus, in pretiosum*

balsamum verteretur, utraque profunderem, ac in tui solius honorem, veluti holocaustum, integre sinerem conflagrare. Excepit iterum Christus: anne haud faceres quidquam amplius? Respondit Augustinus: si venæ meæ omnes, nervique vincula forent aurea, inseparabiliter te cordi meo alligarem. Tertio Christus ad Eum: Insuper duobus istis ardentiorem abs te amorem exigo. Reddidit Ille paradoxum, ac sermonem penitus inauditum: Tanta te, inquit, *Rex gloriæ! dilectione prosequor, ut, si (quod esse quamquam non potest) ego Deus forem, & tu Augustinus esses, omnino vellem ego fieri Augustinus, ut tu fieres Deus.*

Exspectabam post narrationem facti tam illustris, audire Classicos illos Authores, apud quos hæc legisse se meminit Lancillotus; sed naso me suspendit adunco. Claudit hanc relationem suam Græco Nicasii Baxii, Poëtæ, & Oratoris Eremitani Epigrammate, atque hæc subnectit verba: *Incredibilis est sane vis amoris, quæ conditionem fingens eam, quam natura fieri non patitur, una scientiam Augustini præcedit, & ipsum reddit insipientem.* Ecce id demum laudis ex hoc affectu retulit SS. Hipponensium Antistes, ut ad habitaculum insipientium, & ad morotrophium ab ineptis

ineptis Laudatoribus amandetur. Nicasio Baxio Græcæ linguæ peritiam gratulor, & cum Musis etiam Græcanicis castum commercium laudo ; sed, nisi ad veritatis aram Lancilloti sequaces alio cum comitatu, & severioribus Musis veniant, accessum ne sperent. Amicus mihi Cicero, amicus Apollo, sed magis amica veritas.

Bene considerandum esse censeo, quid Lancillotus docere posteritatem velit, quasque circumstantias recenseat, prætensum Augustini Affectum comitantes. Primo vocem Dominicam, de cœlo lapsam asserit, quæ secundo tribus vicibus Augustinum interrogavit: *Augustine, amas me?* Tertiò affectus Augustiniani formalia verba, quibus voci Dominicæ, cœlitus delapsæ, tandem satisfecerat, pro Instructione nostra commemorat. Atque hæc omnia, hanc visionem, has voces, has circumstantias apud classicos Authores se legisse meminit. Classicorum Authorum nomina citavit in margine, parumque abest, quin ex his fere omnes de facie noverit; cum veteribus enim & ante complura secula jam mortuis, nullum ipsi erat commercium: quid enim juvaret, digladiari cum umbris, & in campis Elysiis exagitare Augustini coævorum sodalium, aut synchronorum

 piissi-

piiſſimos manes, ac in re tam aperta ſollicitare Eorumdem Oracula? ad magicas Criticorum artes hoc pertinet; Magia autem eſt prohibita. An non ſatis eſt, inquiet fors aliquis; quod hæc omnia reperiantur apud recentiores vitæ S. Auguſtinianæ ſcriptores? quinam ergo ſunt Authores claſſici, qui loco veterum Hiſtoriographo noſtro ferunt ſuppetias? Tenuis margo phalangem hanc ſuſtinet. Sunt Pelbartus, Didacus de la Vega ſerm. 12. poſt Pentecoſten, P. Valderama in Theatro fol. 86. Bernardinus Roſignolius de Diſciplina Chriſtianæ perfectionis l. 5. c. 10. Joannes Oſorius ſermone de S. Auguſtino, Ribadeneira in vita Auguſtini, & alii, quos non nominat. Ne tamen infideliter egiſſe cum Lancilloto videar, addo, etiam hanc citationem fieri: I. Cron. lib. 1. *de ſtudio perfect. cap.* 25. Oedipus non ſum, ut hoc Ænigma ſolvam; parum tamen rei hiſtoricæ oberit, Aſcetam hunc, Ejusque librum a me ignorari. Authores autem cæteros omnes, quos Lancillotus, etiam non requiſitus, ſiſtit ad forum Criticum, examinabimus. Vereor tamen, ne Claſſicorum Authorum occupare illis ſubſellia liceat; niſi fors ſoli Ribadeneiræ hic honor obtingat. Pœnitet autem, quod Authores citatos omnes ad examen me admiſ-

ſurum

ſurum dixerim. Pelbartum paucis expediam. Debitam ipſi laudem non denego. Fuit ille ævo ſuo Concionator minimè incelebris. Verùm inter teſtes idoneos, ubi de quæſtione antiquiſſimi facti agitur, repugnante ſana Critica locum illi concedere haud poſſum, ſi etiam ſimile quid ſcriptis ſuis inſeruiſſet. Quid Hungarus iſte, qui Seculo decimo ſexto floruit, de hac apparitione, & affectu amoris, ante mille propemodum annos ùt prætenditur, elicito authentice teſtari poterit? Evolvi Ejusdem ſermonem de S. Auguſtino; deprehendi tamen, hujus rei Illum minime eſſe conſcium; divinare alium locum non valebam, cum certum nullum indicaverit Lancillotus. Audiamus nunc etiam cæteros; jam foris ſtant.

§. III.

Invenitur Lancillotus minus habens, cum tota phalange ſuorum teſtium.

Primus ad ferendum Teſtimonium comparet Didacus de la Vega, Toletanus, Ordinis S. Franciſci, SS. Theologiæ Lector, & Eccleſiaſtes celeberrimus, & coævus Lancilloti; adeo autem in facti hujus circumſtantiis

uterque conveniunt, ut plane crederem, Lancillotum hunc ſolum Didacum pro pertexenda hac narratiuncula habuiſſe præ manibus; niſi quædam non parvi momenti obſtarent. Iisdem propemodum verbis & vocem de Cœlo allapſam narrat, ac iisdem phraſibus ad interrogationem ter a Deo repetitam, Auguſtini reſponſionem concipit, in unica re Lancilloto, in qua tamen cardo rei eſt poſitus, non ſuffragatur. Affectus Auguſtini non unus, idemque eſt, ſed alius apud Lancillotum, alius apud Didacum, & quidem in ſubſtantialibus. Conferamus invicem:

Affectus apud Lancillotum.

Tanta te, Rex gloriæ, dilectione proſequor, ut, ſi (quod eſſe quamquam non poteſt) ego Deus forem, & tu Auguſtinus eſſes, omnino vellem ego fieri Auguſtinus, ut tu fieres Deus.

Affectus apud Didacum de la Vega ſerm. Dominicæ 12. poſt Pentecoſt.

O Rex gloriæ! ſi per poſſibile commutatio fieret, ut tu Auguſtinus eſſes, & ego Deus, quemadmodum nunc es, Divinitatem

nitatem abjicerem, & NB. Auguſtini perſonam aſſumerem, ut tu Deus meus eſſes, uti nunc es.

Si ad libellam theologicam appendatur uterque affectus, ille quidem, quem Lancillotus affert, boni ſenſus fors videri poſſet adhuc capax, non autem poſterior ille Didaci, qui aperte inſanit; ut enim ſana ſit, inquit Cornelius a Lapide de hoc Auguſtini affectu, prout vulgo circumfertur, loquens Comment. in c. 8. Ezechielis, Auguſtini ſententia, ſane debet intelligi, non de mutatione perſonæ in perſonam, aut ſubſtantiæ in ſubſtantiam; ſi enim ſic accipiatur, abſurde ſonare videntur verba: ſi enim Deus mutaretur in ſubſtantiam Auguſtini, prorſus deſineret eſſe Deus, & inciperet eſſe alia perſona, & ſubſtantia, ſcilicet Auguſtini. Viciſſim, ſi Auguſtinus mutaretur in ſubſtantiam Dei deſineret eſſe Auguſtinus, & inciperet eſſe Deus; ac conſequenter ipſe a ſe ipſo, & quovis alio ſuper omnia amandus eſſet, Illiusque eſſe, & conſervatio cuivis alterius rei eſſe, utpote creato, ac finito præponendum eſſet. Ineptiſſimum, & plane ſtultum hunc ſenſum aperte indicant Eccleſiaſtis Toletani phraſes: *Divinitatem abjicerem, & Auguſtini perſonam aſſumerem.* Loqui-

tur ergo de *mutatione perſonæ in perſonam*, *ſubſtantiæ in ſubſtantiam*, quod excuſari non poteſt ab inſana blasphemia. Quam miſerabilis, ac infantilis cogitatio, *ſi Deus eſſem*, *Divinitatem abjicerem &c.* quam indigna ſublimiſſimo Auguſtini ingenio. Intelligi ergo debet, pergit Cornelius a Lapide loco citato, hæc ſententia de mutatione ſtatus in ſtatum, ſive de mutatione conditionum, dotum & qualitatum, ſalva utriusque natura. E. g. ſi per impoſſibile fieri poſſet, ut Auguſtinus manens in ſubſtantia, & perſona Augüſtinus, dotes tamen, & excellentias Dei conſequi poſſet, v. g. ſapientiam, potentiam, gloriam, & honorem Dei, ita, ut ab omnibus haberetur Deus: viciſſim, & vice verſa, ſi per impoſſibile fieri poſſet, ut Deus manens in ſua natura, deſcenderet ad ſtatum, abjectionem, & infirmitatem Auguſtini, ſi indueret formam, & ſpeciem Auguſtini, ut ab omnibus haberetur Auguſtinus, ego dicerem: Domine, eſto tu Deus, ſicut hactenus fuiſti, omnipotens, omniſcius, glorioſus; ego vero ſim Auguſtinus miſer, & abjectus, inglorius, ignorans, infirmus, qui ante fui; Tuæ enim naturæ, id eſt, divinitati, debentur iſtæ dotes, & excellentiæ, meæ verò naturæ debetur iſta abjectio, infirmitas, & miſeria; tibi ego, quaſi

quaſi Deo meo, tranſcribo omne bonum meum, orbisque univerſi omnia. Dixi ſupra: Affectum iſtum, Lancilloti phraſibus expreſſum, *fors boni adhuc ſenſus capacem eſſe*; hujus ſcilicet, quem hic Cornelius a Lapide, aut ſupra §. I. S. Saleſius attulit; nihilominus illa verba: *ut tu fieres Deus*, ſi non aperte, ſaltem obſcure, *mutationem perſonæ in perſonam* inſinuant. Demus autem, in ſano ſenſu illa accipi poſſe, veroſimile tamen parum eſt, *Auguſtinum in hunc Affectum prorupiſſe*, ut ait P. Maſſulius in Tractatu de Amore Dei, Parte 2. c. 9. Si tamen Auguſtini eſt, addit, *affectus locutus eſt, non intellectus*, quæ verba ſunt S. Bernardi ſerm. 67. in Cant. 3. Neque P. Didacus ullum ſcriptorem ſui aſſerti citare novit; quare ex Ejusdem authoritate nihil firmamenti accedit Lancilloto; ejusdem enim fere cum ipſo ætatis eſt: floruit enim de la Vega ad initium prioris ſeculi, quo Lancillotus, anno 1622. pie obiit.

Ad hoc ipſum ſeculum pertinet Petrus Valderama, Ordinis Eremitarum, ad annum 1611. Scripſit vir Doctiſſimus Theatrum Religionum; in quo pariter hujus Affectus meminit: & fors tantum ea exſcripſit, quæ in patriota ſuo, Didaco de la Vega, reperit: quod theatri hujus ſpectatores me melius ſcient. Cæterum

terum inter Claſſicos vitæ Auguſtini ſcriptores Illum cenſeri poſſe, haud cenſeo. Bernardini Roſignolii teſtimonium moleſtias mihi nullas, Lancilloto autem nullam fidem adjicit, nihilque ex Ejusdem Aſceſi lucratur. Veritatem hujus Affectus minime confirmat, ſed de illo, ceu de merce circumforaneorum loquitur: *Circumfertur*, inquit, l. 5. c. 20. de Diſciplina Chriſtianæ perfect. *circumfertur, & a quibusdam etiam adfertur dictum quoddam S. Auguſtini exſultantis in Deum, quod ſane a quocunque ſit, ex hujusmodi amoris fonte promanat. Ego, inquit, Domine, Auguſtinus ſum, tu Deus; ſed, ſi, quod nec eſt, & eſſe nequit, ego Deus eſſem, & tu Auguſtinus, vellem omnino commutatis perſonis, ego eſſe Auguſtinus, ut tu Deus eſſes.* Veritas ſacti denuo non in lucem ponitur, ſed novis obvolvitur tenebris. Hæ voces: *Circumfertur, adfertur dictum quoddam, quod ſane a quocunque ſit &c.* indicant ſatis 1. non ſolum Roſignolium, ſed & alios ævo ſuo (obiit autem anno 1613.) de hoc dicto Auguſtini (& quidem merito) dubitaſſe. 2. Nihil habet pius hic Aſceta de *voce cælitus delapſa, de trina interrogatione*. Ex quo ergo fonte has circumſtantias hauſit Lancillotus? 3. Affectum iterum ab affectu hujus ſcriptoris longe diverſum adducit, cum-

que

que de *commutatione perſonarum* iterum loquitur, ſanum ſenſum non admittit.

Joannes Oſorius S. J. prædicando verbum Dei, magnam ſibi comparavit famam. Similem Affectum de Auguſtino refert; de voce cæleſti autem, & trina interrogatione nihil ſcit. Semel pro ſemper dico, tantam non eſſe authoritatem in re hiſtorica Concionatorum, quanta eſt Pontificum, ex Cathedra loquentium.

Tandem ad poſtremum teſtem, Petrum Ribadeneiram, ex inclyta Societate JEſu Presbyterum, virumque Doctiſſimum, devenio. Authores inter, authoritate aliqua pollentes, hic omnino pertinet. Vigilati Ejusdem labores, ac ſolidum, quo Vitas Sanctorum conſcripſit, Judicium Eccleſiæ Catholicæ non parvam peperere gloriam, maximumque Perſonis Eccleſiaſticis ſacrisque Oratoribus attulere commodum, priusquam Bollandus maximum ſuum de Actis Sanctorum Opus intentione Herculea moliri cœpit. Vitam Auguſtini P. Ribadeneira magna certa ſolertia, ex Libris Confeſſionum Sancti hujus Doctoris, & ex vita, a S. Poſſidio concinnata, conſcripſit, illique minime comparandi ſunt Petrus de Natalibus, Jacobus de Voragine, aliique plures fabulatores potius, quàm periti hiſtorici;

rici; ſubinde autem etiam doctiſſimis Viris contingere ſolet, ut in uno, alterove facto recenſendo, minime ex ſua culpa decipiantur; ita verum eſt illud Poëtæ:

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Quæ igitur mens Ribadeneiræ fuit de hoc Auguſtini dicto? Siſtit ille vitam ſancti Patris & Eccleſiæ Doctoris, ad diem 28. Auguſti, in Opere, quod inſcribitur *Flos Sanctorum.* Vocat ibidem Auguſtinum quemdam quaſi Cherubinum in ſcientia, ac Seraphinum ſecundum divinos ardores. Unde Domino colliquitur, inquit, in hæc verba: *Domine, bone JEſu! Charitas, Deus, meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, ſuavitate, & dulcedine tua, jucunditate, & exultatione tua, voluptate, & concupiſcentia tua, quæ ſancta eſt, & bona, caſta, & pura &c.* pluribus enim Opus non habeo; tandem proſequitur Ribadeneira: alias Auguſtinus adeo erat abſorptus, & in Deum raptus, ut quodammodo extaſin paſſus (quamvis ſemper Ejus converſatio eſſet in cœlis) exclamaret in hæc verba, quæ S. Auguſtino communiter attribuuntur: valde gaudeo, ô Domine! te Deum eſſe; ſed ſi forte per *αδυνατον* Auguſtinus eſſe Deus poſſet, mallem Auguſtinus eſſe; ut tu Deus eſſes.

Quid

Quid hæc verba ſibi velint : *quæ S. Auguſtino communiter attribuuntur ?* non Opus eſt, monere ; Popularem traditionem indicant, prætereaque nihil; popularem, inquam, traditionem, quæ errat cōmuniter, fallit frequentiſſime, & aſſenſum prudentiorum nunquam obtinet, niſi ad lapidem Lydium probe examinetur. Ubi apud Ribadeneiram cæleſtis vox ? ubi trina Auguſtini interrogatio ? ubi politica complimenta deſintereſſati amoris ? nunquid dicta Auguſtini iterum cum phraſibus Lancilloti non conveniunt ? non ignorarunt Doctiſſimi Biographi Sanctorum in Belgio, Ribadeneiram mentionem in vita Auguſtini, hujus affectus ingerere ; cur autem Ejusdem narratiunculam præteriere ſilentio ? haud dubie memoratus ſupra Theologus ad hanc relationem Ribadeneiræ reſpexit. Si porro quærat, an non ſufficit, hoc Auguſtini dictum recenſeri in vita ? occurram quæſtione alia : *An non ſufficit, verba ſuperius citata, in vita reperiri ? Domine bone JEſu! charitas, Deus meus! accende me totum igne tuo, amore tuo &c.* Auguſtino hæc verba Ribadeneira tribuit; quia in Meditationibus Auguſtini illa legit; quas in margine citat, & tamen Auguſtini non ſunt cum Meditationum Liber olim inter Dubia S. Doctoris Opera, jam vero inter certo ſuppo-

ſuppoſititia collocetur a Benedictinis Gallis ex Congregatione ſancti Mauri. Lancillotus itaque minime allegatis Authoribus evicit, hunc affectum amoris genuinum eſſe Auguſtini affectum ſed poſteris ſuis in hac facti quæſtione totum reliquit probandi onus.

§. IV.

Cordata Theophili Raynaudi de hoc affectu ſententia.

Refert præſtantiſſimus hic Polygraphus in Dyptichis Marianis quorumdam pias otioſitates, ut vocat, male actuoſorum erga Deiparam Puncto X. n. 35. Pias autem otioſitates vocat quosdam amoris ineptiſſimos actus, quos ſimpliciores nonnulli Mariophili uſurpabant, credentes, ſe ea ratione colere, & rite venerari B. Virginem; aliquos enim ita ex ſimplicitate deliraſſe ait, ut deſiderium conceperint promotionis in Regem totius mundi: quo tamen regno ſe abdicare vellent, & illud B. Virgini conferre. Hos ridet excellens hic Theophilus, & periculum eſſe credit, ne multi hoc deſiderio ad fovendam ambitionem abutantur. Stultos autem proclamat, qui eo ſunt progreſſi, ut locum, qui in cœlis ipſi aliquando aſſignan-

ſignandus foret, vellent dare B. Virgini, ſi alium ipſa non haberet. Tertium denique actum refert, confictum ad imitationem, ut ait, cujusdam æſtus amoris, vulgo S. Auguſtino adſcripti, quoad proportionalem actum transferendi Maternitatem Dei in Genetricem Redemptoris, ſi poſſibilis foret perſonalis cum illa mutatio. Hos actus omnes, per ſe ſpectatos, & ſola conſiderata eorum natura, otioſos, & ineptos cenſet, quibus B. Virgo colatur; præſertim in tanta ubertate ſolidorum Actuum, eidem Virgini ſanctiſſimæ perhonorificorum. Hæc ultima autem pia otioſitas, & otioſa pietas Raynaudo anſam præbuit, inquirendi, quale ferendum ſit cordatis Theologis, de vexato hactenus Auguſtini ſublimiſſimi charitatis erga Deum affectu. Audiamus limatiſſimam criſin. Primo plane immerito illum tanto Doctori tributum fuiſſe exiſtimat; cum ſit actus Omnium prudentum Judicio ridiculus; quippe nixus multis impoſſibilitatibus, & pugnantiſſimis contradictionibus, quibus Deus, qui eſt ipſa veritas, non amat inædificari pietatem; & valde miratur, ſcriptorem cæteroquin ſerium, ac ſolidum, Nicolaum a ſaltu *in via ſalutis ad amorem* cap. 18. toto §. 4.

omnibus viribus conniti, ut huic actui, a Simeone Martino, Augustiniani Ordinis Eremita, in vita hujus S. Doctoris pag. 61. relato, magnum honesti pondus, & sincerissimæ, ac supra, quam dici potest, defœcatissimæ charitis pretiosissimum affectum inædificet; cum tamen nulla possit cerni sincera charitas in actu malo, cujusmodi iste esset, si Deo in mentem veniret; quod absit, ut vel fingendo admittamus: nam si Augustinus esset Deus, & Deus esset Augustinus, ut refert hæc portentosa suppositio, relatio sui in Augustini commodum, per Deitatis abdicationem a se, & ejus translationem in Augustinum, ens potentiale, & creatum sorderet peccato; quia præposterum est, & moraliter inordinatum, atque adeo peccatum, referre creatorem ad creaturam, & pro bono creaturæ, flagrantissimo affectu dilectæ, velle destruere creatorem: quod tamen præstat vanissimus ille actus, qui Deo per impossibile suppositio affingitur; re vera enim non duntaxat per consequentias, sed intrinsece, ac immediate, actus prædictus est vitiosus, & refugiendus: quia ipsis veluti præcordiis Ejus imbibitur virus. Addit præfatus Nicolaus, hac ratione illum quoque actum a Sanctis omnibus usurpatum,

vellem

vellem amare Deum, quantum ipſe eſt amabilis, atque adeo, quantum ſe ipſum amat, fore explodendum; admittit hoc totum Raynaudus: neque enim verum eſt, ait, Sanctos omnes hunc actum uſurpaſſe; quinimo actum illum ad ſuperbiam Luciferianam accedere, imo etiam ſuperare (cum is, qui talem actum elicit, non modo velit eſſe utcunque ſimilis Altiſſimo, ſed idem plane cum eo) nemini ſobrio, nedum Sancto, in mentem veniſſe putat; vel, ſi per primam apprehenſionem ſubjecit intellectum, illico ab eo reſiliiſſe; non ſecus, quam a preſſo angue. Faceſſant, ergo exclamat, nugæ impietate intermiſta blasphemæ: &, ſi cui vacat, exercere ingenium, id præſtet in ſolidis, & a fermento nequitiæ, ac malitiæ liberis argumentis. Fors nonnullis hæc Raynaudi cenſura videbitur ſeverior, & ipſiusmet verbis, quibus ſimpliciores erga Deiparam cultores excuſat, mollienda; nempe Deum affectum potius penſare, quam effectum, potuiſſeque ſimilem actum (ſi quando cum bona intentione elici contingit) fors acceptum habere; cum etiam boni ſenſus capax ſit, ut ſupra ex S. Franciſco Saleſio, & Cornelio a Lapide audivimus. His etiam pro mea parte, in venerationem S. Saleſii, lu-

bens accedo. Similes autem affectus viris, eximia ſanctitate, & rerum Theologicarum ſumma ſcientia præditis (qualis re vera Auguſtinus erat, qui inter Doctos Sanctiſſimus, interque Sanctos Doctiſſimus audit) adſcribere, ac prœlo mandatos, ubique vulgare, & in publicis Eccleſiæ Catholicæ cathedris quaſi canonizare, res eſſet, & abuſio correctione digna, eodemque, qui hoc tentaret, afficiendus eſſet vituperio, quod eos manet, qui ſophiſticum aurum genuino, vitrumque coloratum pro veris gemmis vendere præſumunt. Quod de Deiparæ laudatoribus Petrus Cellenſis l. 9. Epiſ. 10. ait: paucis mutatis, omnibus, qui Sanctos alios encomiis ornant, commendandum cenſeo, ſuum in Laudibus Sanctorum expendere ingenium, & ſtudium, non improbabile eſt, nec irremunerabile; ungulam tamen, & in hoc, & in omni actione noſtra, & intentione findere authoritas jubet, & ratio: diſcernere autem, quid, & quomodo laudare debeas, ungulam eſt findere. Qui alterum poſtponit officium Laudationis, aut pervertit, aut prorſus omittit. In modo erras, ſi ſupra, vel infra, aut extra metas veritatis quemlibet laudas; quæ animadverſio plane eſt cedro digna. Hunc ipſum affectum, ceu ſpurium,
&

& Augustino falso attributum, rejicit Raynaudus in triade Fortium de S. Bernardo §. LXXXII tom. 9. pag. 224.

§. V.

An nullum hujus dicti appareat in Operibus S. Augustini vestigium.

Etsi hucusque prætensum charitatis actum inter falsa Augustini ornamenta rejecerim, in mentem tamen meam numquam venit, illum fuisse malitiose confictum, sed potius in ea persuasione sum, illum ex pia cujusdam Paraphrastis, e sacro pulpito declamantis audacia duxisse originem. Probe autem tria consideranda esse mones, qui Lancillotus, Ejusque contribules afferunt. Dicunt primo, Augustinum fuisse raptum in extasin, secundo, voce de cœlo allapsa ter fuisse interrogatum, Augustine! diligis me. Tandem Augustinum, ut summum amoris apicem attingeret, optasse, etsi impossibilitatem ipse agnosceret, mutationem conditionis suæ cum Deo. Huic fictioni occasionem dedisse puto sequentem intensissimi amoris actum, quam lib. 7. Confess. cap. 10. lego: *Intravi*, inquit Hipponensis Doctor, Seraphico incendio ple-

nus, *intravi in intima mea, duce te. Intravi, & vidi qualicunque oculo animæ meæ, supra eumdem oculum animæ meæ, supra mentem meam lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem, & conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere. Grandior erat, tanquam, si ista multo, multoque clarius inclaresceret, totumque occuparet magnitudine; non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab omnibus istis: nec ita erat supra mentem meam, sicut oleum super aquam, nec, sicut cœlum super terram, sed superior; quia ipse fecit me, & ego inferior; quia factus sum ab ea, qui novit veritatem, novit eam, & qui novit eam novit æternitatem. Charitas novit eam. O æterna veritas! & vera charitas, & chara æternitas! tu es Deus meus, tibi suspiro die, ac nocte. Cum te primum cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse, quod viderem, & nondum me esse, qui viderem; & reverberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore, & honore; & inveni, longe me esse a te in regione dissimilitudinis tanquam audirem vocem de excelso: Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me; nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Et cognovi, quoniam pro iniqui-*

iniquitate erudivisti hominem, & tabescere fecisti, sicut araneam, animam meam; & dixi: numquid nihil est veritas? quoniam neque per finita, neque per infinita spatia locorum diffusa est? & clamasti de longinquo: Imo vero ego sum, qui sum; & audivi, sicut auditur in corde: & non erat prorsus, unde dubitarem.

Hæ ardentissimi amatoris Dei voces sunt; loquitur aperte de habita dulcissima extasi, quasi etiamnum extaticus foret; loquitur quasi pe voce Domnica, cælitus allapsa, *tanquam audirem vocem tuam de excelso.* Collocutum secum affirmat Deum: *nec tu me in te mutabis, sicut cibum aarnis tuæ, sed tu mutabis in me.* Certè postrema hæc verba audaciori Paraphrastæ occasionem dare poterant, credendi, in hoc amoris excessu Augustinum per *impossibile appetiisse commutationem suæ conditionis cum Deo; & responsum tulisse: nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* Fors hac paraphrasi festivus Orator populi plausum tulit, suaque opinio dominari cœpit in Cathedris, ac in certam redacta formulam, quibus nunc legitur, pro genuina Augustini sententia obtrusa est, nemine contradicere

 auso;

auſo; non raro enim contingit, *ut amplificentur in Panegyricis Sanctorum, quæ vel altum hiſtoria reticuit, vel abſciſſa, aridave narratione complexa eſt. Et, niſi hoc modo fuit operatus ſanctus, quo Oratori videtur operandum fuiſſe, debuit ita operari; tanta eſt iſtorum Oratorum venia, tam liberalis gratia.* Verba ſunt, & vera verba ſunt Muratorii immortalis memoriæ viri in Opuſculo de Dignitate Eloquentiæ popularis cap. 13. de Panegyricis Sanctorum. Interim conjecturam meam hic profero, ſententiam non fero. Gratulor Eruditis, ſi meam opinionem hanc ſolidis rationibus conficiant, & controverſum amoris affectum ad vera Auguſtini decora pertinere, irrefragabili rationum meliorum pondere me convincant. Donec hoc fiat non deſeram Theophili Raynaudi latus.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An S. Auguſtinus a cæleſti puero, ſibi apparente, deterritus fuerit a proſequendo Opere de Sanctiſſima Trinitate.

§. I.

Qualis ſit Petri de Natalibus, hanc Apparitionem narrantis, Authoritas.

Antverpienſes Hagiographi hac de re in prævio ad vitam Auguſtini Commentario tomo VI. §. LIV. differentes, parum Illi fidei attribuunt, & tanquam factum coævum authoritate carens, rejiciunt. Petrum de Natalibus ſic in catalogo Sanctorum libro ſeptimo, capite centeſimo vigeſimo octavo loquentem inducunt: *Fertur de Eò* (S. Auguſtino) *quòd cum Librum de Trinitate compilare cogitaſſet, tranſiens juxta Littus, vidit puerum, qui foveam parvam in Littore fecerat, & cochlea aquam de mari hauſtam, in foveam mittebat. Et, cum Auguſtinus puerum interrogaſſet, quid faceret, reſpondit puer, quod mare diſpoſuerat cochlea exſiccare, & in foveam illam mittere. Cumque hoc Auguſtinus impoſſibile eſſe diceret, & ſimplicitatem pueri rideret, puer ille Ei dixit, quod poſſibilius*

ſibi eſſet, hoc perficere, quam Auguſtino minimam partem Myſteriorum Trinitatis, in Libro ſuo explicare, aſſimilans foveam Codici, mare Trinitati, cochleam intellectui Auguſtini: quo dicto puer diſparuit. Auguſtinus autem ex hoc ſe humiliavit, & Librum de Trinitate, Oratione præmiſſa, utcunque potuit, compilavit. Idem, inquiunt laudati Eruditi, refert Ambroſius Staibanus in Templo Auguſtiniano capite octavo citans plures medii ævi ſcriptores. Accedit Ludovicus Torellus in ſeculis Auguſtinianis, Italice ſcriptis, ad ann. 388. numero 12. & 13. multisque Necterici. Jacob. Bidermañus S. J. Lib. II. Acroamatum, Acroamate V. hanc Appationem floſculis Oratoriis nitidiſſimè exornat, non audet tamen ad hiſtoriæ fidem provocare, ſed duntaxat vulgi Opinionem vocat. Si enim recurramus ad Principia Artis Criticæ, hoc factum nullo modo credibile eſſe dicendum erit; certa enim Criticorum omnium eſt Regula: In rebus hiſtoricis nihil eſſe credibile, quod caret teſte Idoneo; teſtem autem Idoneum minime agere poteſt Petrus de Natalibus de re, quæ pluribus ſeculis præceſſit; cum nullum teſtem ſynchronum allegare ſciverit. Illud *fertur* ſatis coævi ſcriptoris defectum indicat. De Idoneitate hujus teſtis loqui pro me libenter patiar Danielem Papebrochium

in

in Reſponſione ad Exhibitionem Errorum ad Articulum undecimum §. 18. ubi Petri de Natalibus Legendam, fabulis pleniſſimam adducit, ac numero centeſimo quinquageſimo ſeptimo ait: *Petrus de Natalibus, quantumcunque a te* (R. P. Sebaſtianum a S. Paulo, Ordinis Carmelitani celebrem ſcriptorem alloquitur) *laudatus nihil ultra Seculi decimi quarti ſimplicitatem videtur ſapuiſſe; neque Epiſcopalis Gradus probat, Eum curioſiorem fuiſſe ad vera diſcernenda a falſis, quàm ea ætate paſſim erant Ejusdem Profeſſionis, & Dignitatis alii. Præferunt quidem Eum nonnulli, & quidem longe, Jacobo de Voragine; verum Bollandus in Præfatione Generali ad vitas Sanctorum, ante Januarium, capite primo §. 4. Si de numero, ait, agitur Sanctorum, quorum Ille nomina collegit, libens aſſentior; ſin diligenter Veteris Hiſtoriæ ſtatuta examinata, certisque teſtimoniis, ceu monumentis, librata quis requirat, ne illæ in multis etiam Voragini cedit.*

Norunt Eruditi omnes, quodnam Judicium de Voragine, Ejusque legenda Aurea tulerint Ludovicus Vives, Melchior Canus, & Claudius Eſpencæus, Laurentius Villa, Vincentio Xereſanus &c. Satis immodeſta & intemperans criſis eſt Eſpencæi de Eſquilino Epiſcopo, ſive Petro de Natalibus

in

in 2. Tim. IV. n. 21. inquientis : *Facilius Augiæ ſtabulum, quàm talibus fabellis multorum tum Libros, tum Conciones repurges, præſertim Catalogum Petri de Natalibus, quem Catalogum Sanctorum inſcripſit.* Claruit hic ſcriptor circa annum Domini 1470. Natione fuit Venetus, ex Parocho ſanctorum Apoſtolorum Epiſcopus Eſquilinus factus eſt, ac de Eo agunt Aubertus Miræus, Oudinus, Henricus Warton, Vaſæus in Chronico Hiſp. c. 5. qui ſimul monet, Petrum cum Judicio eſſe legendum. Superfluum eſſet, plura de Eo coacervare teſtimonia minus faventia; ſufficit, quod teſtem agere Idoneum haud poſſit circa factum tam antiquum, ob defectum teſtis ſynchroni, de quo ipſemet Petrus hic dubiam ſuamfidem prodidit per ſuum *fertur*. *Factum iſtud*, mox addunt Bollandi Continuatores, *non ſolum difficultatem patitur ex Antiquiorum omnium ſilentio, ſed vel maxime ſuſpectum redditur ex loco, & tempore quo iſtud volunt contigiſſe.* Quare ſatis mirari haud poſſum, quod fidem tam ſuſpectæ narrationi præſtiterit Joannes Laurentius Berti inſignis Theologus de Geſtis S. Auguſtini, magna cum induſtria, nec minore eruditione conſcriptis, ac Venetiis apud Antonium Baſſanaſe editis Anno MDCCLVI. cap. 20. ubi tam Canoni-

nonicos Regulares, quam Bollandianos carpit, Illorumque tardam credulitatem accuſat: mox enim videbimus argumentum ex *loco*, *& tempore* contra hanc pueri apparitionem deſumptum, non tam infirmum, eſſe, quam credidit Vir doctiſſimus. Fors implebitur Illius votum, dum optat, ut hæc vulgaris traditio impugnetur momentis validioribus. Inquiramus ergo, quonam in loco hæc Auguſtino objecta ſit Viſio?

§. II.

An S. Auguſtino hic puer apparuerit in Africa? prope Civitatem Hipponenſem?

Non parvum negotium mihi erit cum hoc parvulo. Quo enim me conferam, quodnam trajiciendum ſit mare, in cujus Littore ſedentem inveniam, dubitare me faciunt variantes illorum, qui rem litteris mandarunt, ſententiæ. Iter ſatis longum erit adeundum nobis. Inſcendamus navim, & per liquidum Neptuni elementum primo vela vertamus in Africam; fors Hippo Regia, maritimaque civitas parvulum hunc ſpectandum nobis offeret. Thomas Cantipratanus illuc nos vocat, minime contemnendi nominis ſcriptor. Floruit circa Seculi 13. medium ab 1252. ad 1268.

Natio-

Natione fuit Brabantus, Levis, S. Petri celebri prope Bruxellam municipio, ex nobili prosapia ortus. Jacobum de Vitriaco Achonensis Urbis Præsulem, postea S. R. E. Cardinalem concionantem audiens, curis secularibus valedixit, ad Apostolicam S. Augustini Regulam, tanquam ad securiorem salutis portum, se contulit, interque Canonicos Regulares Cantipratensis Cœnobii per aliquot annos religiosissimam vitam duxit. At novo ubique Prædicatorum Ordine odorem suum spargente, majoris perfectionis studio sese Eidem mancipavit. Tanta probitate sub nova Religionis veste sese commendare mox omnibus cœpit, ut virum sibi cœlitus missum dicerent. Fuit Alberti Magni auditor, ac tandem in Cameracensis Episcopi suffraganeum est assumptus. Obiit pietate, & doctrina insignis anno 1280. teste Colvenerio in vita: scripsit Thomas Varia, præsertim Opus de Apibus Mysticis, quod *Bonum Universale* appellari solet, sive Miraculorum, & Exemplorum memorabilium sui temporis Libros II. In horum secundo cap. XLVIII. docet, profundas Quæstiones vitandas esse ex quadam Relatione de S. Augustino. *Eo in tempore*, inquit, *quo B. Augustinus Librum de Trinitate composuit, illi tale miraculum Deus ostendit.*

Hippo.

Hipponensis civitas Africæ nobilis, in qua B. Augustinus Episcopatum administravit, super Littus maris pulcherrime sita est. Beatus autem Augustinus in consuetudine habebat, ut post diurnum studium, & laborem vespere super littus maris, sequentibus a longe Episcopis, & Clericis, qui Eum pro consilio, & negotio universalis Ecclesiæ frequentabant, solus antecedens deambularet; ne scilicet ejus contemplationem, aut studium colloquentium fabulatio impediret. Cum ergo hic solus incederet, puerulum miræ pulchritudinis ibi sedentem invenit, qui facta in terra fossa parvula (sicut pueri in plateis ludentes solent) cochleari argenteo aquam de mari hauriebat, & in illam parvam fossam efundebat. Quem ut B. Augustinus ita seriose sedentem vidit, pedem mox pressit, & stetit: procedens inde puerum salutat, & inquirit, quid agat; & puer cum magno serio respondens, volo, inquit, totum istud exhaurire mare, & isti fossæ, si possum, infundere. Quo responso, quasi pueruli, vir sanctus in risum decentissimum comitatus respondens, & quomodo, inquit, o bone puer, hoc poteris? ingens est mare, & parvum cochlear, quo exhauris, parva etiam fossa, in quam infundis. Et mox puer: possibilius, inquit, mihi est hoc facere, quod intendo, quam te implere, quod cogitas. Ad hoc B. Augustinus mirabiliter stupefactus, quid hoc esset, inter-

interrogat; & puer: Cogitatu, ait, volvis, & æstimas brevi volumine concludere, quid sit illud individuæ Trinitatis inexplicabile Sacramentum. Et hoc quidem antequam possis, isti fossæ parvulæ potius maris undas infundam. Hæc dicens puer repente disparuit: Beatus vero Augustinus Christum in facto glorificans, quam verum puer dixerit, mox advertit.

Sane, si amorem veritatis in Thoma hoc spectem, magnum authoritatis pondus eidem inesse ultro confiteor. Citatus jam supra Vir doctissimus Georgius Colvonereus Alostensis, S. Theologiæ Licentiatus, & Professor, ac Librorum Censor in Academia Duacensi, qui hoc Thomæ Opus notis illustravit, in hæc verba præfatur: *Quæcunque in nostro Thoma de Cantiprato referuntur, ea (pauculis exceptis, quibus Judicium nostrum vel in margine, vel in notis adjeci) tanta veritatis certitudine, vel probabilitate commemorantur, ut nec a Refractario Lectore in dubium verti possint. Res enim in primis refert gestas suo tempore, quas vel ipse vidit, vel quarum oculatos testes profert, vel alias a fide dignis accepit.* Magnam certe fidem mereri Thomam, lubens concedo, quæ Illi nec hic deneganda foret, si rem ævo non suo, sed pluribus ante seculis gestam narrando addidisset, a

quibus

quibus, fide dignis ſcriptoribus illam hauſerit. Hoc autem non facit; ait enim tantum: *Inter miracula quædam B. Auguſtini tale quid de eo reperitur.* Unde ipſemet Commentator Cantipratani Colvonerius hanc de Apparitione pueruli hiſtoriunculam obelo in margine notat, rejicitque his verbis: *Noverit Lector, hoc non eſſe ſolidæ veritatis, & eorum confutationem videat in Molano* l. 3. de pict. c. 36. In quæſtionibus, quæ ex facto vetutiſſimo pendent, nec ſanctitas, nec doctrinæ præſtantia ab errandi, & deceptionis periculo immunitatem præſtat. *Miraculorum ab Auguſtino patratorum* Liber hactenus Eruditorum oculos non ſubiit, miræ quædam, variæque Apparitiones circumferuntur quidem, quæ tamen plerumque ſuſpectæ fidei ſunt, & prudentiorum Judicio, niſi legitimi teſtes, ac tabulæ adſint, tanquam ſpuriæ proſcribuntur; ut vedere eſt in Actis, ab Antverpienſibus Eruditis conſcriptis, ac tomo VI. Auguſti editis.

Tale quid de Auguſtino reperiri aſſerit Venerabilis ſcriptor, pro certa tamen veritate, quod narrabat, vendere non eſt auſus. Et plane facta Viſionis hujus Relatio aliqua continet, quæ cum moribus Auguſtini, ac Ejus ſanctitate mi-

nime combinari poſſe videntur. Quid enim ab elegantiſſimis Auguſtini moribus magis alienum, quam recenſita illius ſolitaria deambulatio, relictis poſt ſe longo intervallo Epiſcopis hoſpitibus; ne confabulatione ſua Illum turbarent? Leges urbanitatis, Decori limites, & Hoſpitalitatis Jura hoc certe prohibebant in humaniſſimo Epiſcopo, qui a ſuaviſſima converſatione ſua neminem ſolebat excludere. Transgreſſor proprii Canonis fuiſſet hac in urbanitate ſua, qui ſuis Clericis præceperat in ſacra Regula: *Quando proceditis, ſimul ambulate, quo itis, ſimul ſtate.*

Præterea peccaminoſæ præſumptionis reum Auguſtinum facit inſtituta relatio. *Volvis, & æſtimas*, inquit efictus puer, *volumine brevi concludere, quid ſit illud individuæ Trinitatis inexplicabile Sacramentum.* Quaſi vero S. Doctor cum tanta præſumptione ad conſcribendos de SS. Trinitatis Myſterio libros acceſſiſſet, ut crediderit, aut brevi volumine rem totam complecti poſſe, aut humano intellectui illud absque ulla difficultate pervium, aut comprehenſibile eſſe? Hoc cum humilitate Auguſtini, cum ſublimiſſima, ac profundiſſima ſcientia nullatenus componi poteſt. Difficultatem ſuſcepti laboris quod probe intel-

lexerit,

lexerit, mox prodit lib. 1. de Ttinit. cap. 3. *Quisquis hæc legerit*, ait, *ubi certus est, pergat mecum, ubi hæsitat, quærat mecum, ubi errorem suum agnoscit, redeat ad me, ubi meum. revocet me. Ita ingrediamur simul, charitatis viam tendentes ad eum, in quo dictum est: Quærite faciem ejus semper. Et hoc placitum pium, atque tutum coram Domino Deo nostro, cum omnibus interim, qui ea, quæ scribo, legunt, & in omnibus scriptis meis, maxime in iis, ubi quæritur unitas Trinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur.* En! quod sanctus Pater minime illotis manibus ad scribendum de hoc SS. Mysterio accesserit, sed Ejusdem incomprehensibilitatis conscius, per charitatis, & humilitatis viam Ejus explanationem quæsierit. Libro II. Trinit. mox in proëmio inquit: *Duo sunt, quæ in errore hominum difficillime tolerantur, præsumptio, priusquam veritas pateat, &, cum jam patuerit, defensio falsitatis. A quibus duobus vitiis nimis inimicis inventioni veritatis, & tractationi Divinorum, Sanctorumque Librorum, si me, ut precor, & spero, Deus defenderit, atque munierit scuto bonæ voluntatis suæ, & gratia misericordiæ suæ, non ero segnis ad inquirendam substantiam Dei.*

Quisquis hæc legerit, una mecum fateatur, necesse est, magnam Augustino inferre injuriam eos, qui hunc parvulum in Theatrum producunt, ut de præsumptione summe peccaminosa Augustinum arguat; imo, ut mox videbimus, ab incepto opere omnino deterreat. Recedamus ab hoc Littore, deseramus Hipponam, sinamus evanescere hunc parvulum: brevi se nobis iterum in alio Littore obtutibus nostris objiciet.

§. III.

An hic parvulus spectandum se præbuerit prope Civitatem Tingis in Regno Fezano?

Persistendum adhuc nobis est in Africa quidem, sed alio navigandum, quò nos Aloysius Torellus vocat. Contendit Ille, ut ex Eo Joannes Bonifacius Bagatta in Admirandis orbis Christiani Lib. V. Cap. I. num. 58. refert, hanc pueri Apparitionem Augustino fuisse oblatam prope Civitatem Tingis Regni Tingitani, aut Fezani, ad annum Christi 354. *In hoc loco*, inquit, *apparuit D. Augustino Angelus, totam marinam aquam in angustam foveam transmittere tentans, ad Illi demonstrandum impossibilitatem*

tatem perfecte attingendi Mysterium SS. Trinitatis.

Ecce denuo hæc stultitia sublimissimi ingenii viro, humillimo Doctori Augustino affingitur, a qua tamen alienissimus fuit. Si ad annum Christi 354. oblata fuit Augustino hæc Visio, satis mature de scribendis Libris cogitaverit, oportet, ac jam primo vitæ suæ anno præsumpsit, perfecte Mysterium SS. Trinitatis infantili intellectu attingere; juxta Chronologiam enim Vitæ Augustinianæ Reverendissimi Simonis Werlini, ab Amorto editam, anno 354. Augustinus primum fuit natus, matre 23. annum agente, Idibus Novembris; quem diem prodit de beata vita: Idibus autem Novembris anno 355. implevit annum primum; quo spectasse reor, inquit Werlinus, Recentiores, qui natum hoc anno scripserunt. Ut tamen fabulosam hanc Relationem Torellus credibiliorem redderet suis Lectoribus, novis Illam prodigiis ornat. *Etiam nunc apparent*, ait, *in lapide vestigia pedum, ab Eodem S. Doctore mirabiliter impressa; quæ, licet continuo fluxu, & reflexu maris semper abluantur, a fluctibusque percutiantur, numquam moventur, nec consumuntur. imo aqua, quæ in ejus cavitatibus reperitur, devote a fide-*

 libus

libus hauſta, innumeros propulſat morbos, & infirmitates.

Quicunque narrationi huic fidem adhibet, Lympha in hiſce cavitatibus relicta Opus habet, ut ab infirmitate cerebri, & nimiæ credulitatis morbo liberetur. De hac excurſione Auguſtini quis antiquorum vel apice meminit? Quo anno hoc ab ipſo ſuſceptum eſt iter? numquid anno 354. a nutrice, aut matre illuc fuit deportatus? ſi poſt adeptum Epiſcopatum Civitatem Tingis adiit, aut jam ſenio gravis Illum inviſit, quomodo iter hoc, tam notabili miraculo illuſtratum, latere potuiſſet Poſſidium? ubi fontes, ubi teſtimonia ex quibus rem adeo novam hauſit Torellus? Quis Geographorum quotidiani hujus beneficii notitiam Illi ſuppeditavit? An ipſemet Torellus Civitatis hujus Antiquitates inſpexit? Viditque in maris Littore impreſſa ab Auguſtino lapidi veſtigia? ut tanta cum fiducia affirmet, *etiam nunc* extare illa, atque innumeros propulſare morbos? De ſalubri puteo in crypta Cœli Aurei Papiæ, in qua plerique dudum crediderunt, Corpus S. Auguſtini eſſe depoſitum, ſcripſit Papebrochius, quod ex Illo advenientes, ſalubriter aquam hauriant; vide Acta Sanctorum tomo VI. Aug. in Comment. prævio in vit. S. Aug. §. LX. n. 768.

De

De miraculoſo hoc puteo ait Bellovacenſis l. 23. c. 148. in crypta Eccleſiæ puteus eſt, qui aliquot annis, in die Feſti (S. Auguſtini) ſuperabundans, totam cryptam ſuper efluxit; in ſignum, quia ſic aqua iſta ſordes diluit, ſicut ſordes hæreſeos ab Eccleſia affluens Ejus Doctrina deterſit. Idem habet Anonymus Stozianus apud Fontaninum c. 14. cum hac tantum differentia: *Qui* (puteus) *quotannis ſupereſluxit.* Habuit itaque hic puteus ſuos laudatores, qui Illius meminere; de ſalubribus autem aquis, in cavitatibus celebrati a Torello lapidis detentis, altum ubique ſilentium; &, quod peſſimum, necproprii Ordinis Sodales aſſentiuntur Torello & plerumque hunc puerum in Italia Auguſtino apparuiſſe contendunt. Ergo nec medios inter Barbaros famoſum detegere licuit puerum. Fors inveniemus Illum in Italia? Aſcendamus navim; remeandum ex Africa, atque inviſendæ Civitates maritimæ in media Italia.

§. IV.

An Apparitio hæc contigerit in Italia prope centum Cellas.

Appullimus!

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum, Stamus in Thuſci maris

Littore; cum navigii malorum insueti simus, juvat Circumactum pelagi erroribus caput brevi somno componere. Post modicas inducias ad nova redibimus spectacula. Sed prohibeor; video enim eminus me accedentem virorum, & sanctimonia, & scientiis clarissimorum turbam intento quasi digito ad Littus Bertoldi hunc mihi parvulum designantem. Ain vero in Tuscia? ita omnino est. Audio Cornelium Lancillotum, celeberrimum Ordinis Eremitarum Theologum, hanc mihi, priusquam aurem cæteris præbeam suppeditare notitiam.

Augustinus post perceptam Baptismi gratiam, arbitratus, in patria commodius Deo vacare se posse, matris precibus accedentibus, Romam versus se itineri accingit, & vale dicto Amicis, in primis Simpliciano, & Ambrosio, ab Eisque benedictione obtenta, proficiscitur cum Alipio, & Evodio per deserta Etruriæ, quæ alii vocant ad montem Pisanum. Quibus in locis cum velut suavissimum odorem sanctitatis percepisset Eremitarum Illorum, qui inibi morabantur, ad Eos cupide deflexit, invenitque complures in eis partibus, quas centum Cellas vocabant (erant autem centum Judicum totidem cellæ, quas Adrianus Princeps ædificandas

candas curavit, ad audiendum ſe præſente cauſas) ſanctimonia vitæ inſignes. Inter hæc ædificia jam diruta vivebant iidem viri Religioſi, qui Auguſtinum doctrina, & ſanctitate multo ſibi ante notum, amictum veſte Religioſa, ſimiliter & ipſi veſtibus induti Monaſticis, honore magno receperunt. Qui talium virorum conſuetudine, ſuæ non abſimili, multum delectatus, longiores apud Eos moras traxit; ut Martinus Quintus, Gerſon, & Mantuanus de Eodem teſtatur; loquens enim de S. Auguſtino ait

memoratur Eremum
Incoluiſſe maris Thuſci prope Littora centum
Cellarum, qua vicus erat, Tyberina petivit
Oſtia.

Vacabat hic Meditationi, Commentationi, & Librorum, præſertim de Trinitate, ſcriptioni. In cujus Myſterii profunditatem raptus, cum aliquando circa Littus verſaretur, ferunt, Ei puerulum apparuiſſe, cochleari conantem mare totum exili includere alveolo; ad quem cum Auguſtinus, velut puerile, & impoſſibile, ſubrideret, puer magis impoſſibile reſpondit eſſe, immenſum mare Myſteriorum Dei, adeoque SS. Trinitatis immenſitatem ambitu humani-

ingenii, quantumlibet capacis, arctare. Quare ſublimi hoc Opere tunc intermiſſo, totum ſe ſanctitatis Exercitiis, una cum Collegis, & Eremitis ibidem dedit. Simul, ait, eramus, ſimul habitabamus, placito ſancto remoti a turbis. Citat in margine lib. 9. Confeſſ. cap. 8. & 9. Hucusque Lancillotus l. 2. vitæ S. Auguſtini cap. 8. Pro ſententia ſua adducens Volateranum, & Licentium Epiſtola 3. apud D. Auguſtinum.

Petrus de Natalibus, Equilimus Epiſcopus, in Catalogo Sanctorum lib. 7. cap. 128. Idem narrat, & ex Eo refert Ambroſius Staibanus in Templo Auguſtiniano cap. 8. citans plures medii ævi ſcriptores. Accedit Martinus Cruſenius in Monaſtico Part. I. Cap. VI. & Ludovicus Torellus in Seculis Auguſtinianis, Italicæ ſcriptis, ad annum 388. numero 12. & 13. multique alii Neoterici. Hi tamen omnes ad Thuſci maris Littus nec Auguſtinum, nec cæleſtem hunc genium probabilibus argumentis nobis demonſtrabunt. Omnes cum Lancilloto falſo nituntur ſuppoſito, Auguſtinum nempe, cum poſt perceptum Mediolani Baptiſmum remearet, inſtinctu Matris in Africam divertiſſe ad centum Cellarum Eremitas, inter Illos vixiſſe Solitarium, atque longiores moras ibidem traxiſſe; vulgaris quidem hæc opinio

erat,

erat, Seculo 13. aut ſequenti primum orta, quam Viri eruditi argumentis fortiſſimis impugnarunt, & refutarunt. S. Poſſidius immediate S. Auguſtinum Mediolano ad Oſtia Tyberina fuiſſe profectum ſcribit; poſtquam autem ibidem Pia Ejusdem Mater Monica extremam diem obiiſſet, mutata animi ſententia, Juſtisque Matri more Chriſtiano perſolutis, Romam rediit, atque ibi per aliquod tempus commoratus, tandem inceptum proſecutus eſt iter, ac renavigavit in Africam. De hac commoratione apud Eremitas Thuſciæ nec verbulum habet; nec umquam Auguſtinus hujus diverticuli, aut Solitariorum Eremitarum ullibi meminit. Scripſit poſt Converſionem ſuam Auguſtinus Romæ duos Libros, unum de moribus Eccleſiæ Catholicæ alterum de Moribus Manichæorum. In primo horum cap. 33. narrat, quæ Mediolani, quæ Romæ in Monaſteriis viderit. Vidi, inquit, ego Diverſorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat, Vir optimus, & doctiſſimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus ſinguli gravitate, atque prudentia, & divina ſcientia præpotentes, cæteris ſecum habitantibus præſunt, Chriſtiana charitate, ſanctitate, & libertate viventibus: ne ipſi quidem cui-

quam

quam onerosi sunt, sed Orientis more, & Pauli Apostoli authoritate, manibus suis se transigunt. Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici &c. Si Augustinus in centum Cellis, aut in alio Tusciæ Monasterio tamdiu fuisset commoratus, haud dubie etiam commemorasset ex gratitudine, quæ ibidem viderit, aut omnino Roma ipsa derelicta, ad hos Eremitas rediisset. Nullatenus verosimile est, Augustinum cum Matre, filioque suo Adedato, & reliquis amicis in itinere se alibi, & tam diu, & inter Eremitas detinuisse; eo, quod Ejusdem Pia Mater multis apud filium precibus institerit, ut in Africam, ad domum paternam, laresque proprios reverteretur. Unde merito hoc *Diverticulum* doctissimus Guilielmus Cuperus *improbabile* vocat tom. VI. aug. pag. 235. numero 123. Quod plus est, nullo solido argumento Lancillotus, &, qui parem opinionem cum Eo fovent, probare poterunt in Etruria, ac centum Cellis, nunc Civita-Vechia, Augustini ævo Eremitas vixisse. Summa quidem authoritas est Martini V. Pontificis Maximi, quem allegat; at assertive nil affirmat summus Pontifex. Verba Illius in sermone de translat. S. Monicæ sunt: *Quo medio tempore Augustinum ferunt, sanctorum Hominum consilio quæsivisse; quorum*

quorum præcipue in Thuſcia multi fuiſſe Conventus dicuntur. Hæc verba, *ferunt*, *dicuntur*, ſatis indicant, Romanum Pontificem minime fuiſſe locutum ex certa ſcientia, ſed ſeſe accommodaſſe vulgari opinioni, quæ ſuo potiſſimum tempore invaluit. Brevibus hìc adnoto Sermonem hunc a non paucis Eruditis rejici tanquam, ſpurium contra quos pugnat Clariſſ. Joannes Laurentius Berti de S. Monica, Cap. VIII. Videantur Bollandiſtæ Tomo I. Maji pag. 491. Eodem loquendi modo etiam utitur Jordanus de Saxonia l. cit. vit. Fratr. *Tranſiens* (Auguſtinus) *& iter faciens per Thuſciam, ubi, ut fertur, plura erant loca Eremitica, ubicunque Fratres ſui propoſiti invenit, Ipſe charitative viſitavit.* Ecce! *ut fertur*, inquit. Advertit etiam citatus ſupra Cuperus, Jordanum ſe fundare in Serm 21. ad Fratres in Eremo, quem Lovanienſes Editores in Appendicem Tom. 10. pag. 723. rejecerunt, ceu ſpurium, & Auguſtino indignum. Fabulas in hoc Sermone contentas etiam refutatas habemus Tom. VI. Operum Auguſtini in Appendice à Monachis Benedictinis in Gallia Edit. Venetæ p. m. 325. & 326.

Ad cauſam Lancilloti multum utique conferret, ſi hac de Commoratione

inter

inter Eremitas Thuſciæ ipſe Auguſtinus quidquam ſcripſiſſet in Lib. Confeſſ. 9. cap. 8. & 9. Verum nec ſyllabam ibi habet, ſive de Monte Piſano, ſive de centum Cellis. Perperam etiam locum Licentii, qui Auguſtini diſcipulus erat, pro ſententia ſua allegavit. Inveniuntur illa, non in Epiſtol. 3. ſed 39. inter Auguſtinianas. Scribit ibi Licentius ad Auguſtinum:

O mihi transactos revocet ſi priſtina ſoles
Lætificis aurora rotis, queis Libera tecum
Otia tentantes, & candida Jura bonorum
Duximus Italiæ medio, montesque per altos.

Nihil hic video de Apparitione pueri, nihil de centum Cellis, aut Monaſteriis Thuſciæ; nec in toto carmine nomen Eremi occurrit. Si Licentius in dirutis harum Cellarum ædificiis Eremitarum Inſtitutum jam fuiſſet amplexatus, cur Auguſtinus primum Illum ad Converſionem in hac ipſa Epiſtola adhortatur? quare ſuadet, ut omnem Ornatum ſeculi, pompamque Diaboli relinquat? hinc ad ſe, ſeu potius ſequendum Deum nunc primum invitat. *Vade in Campaniam*, inquit, *diſce Paulinum egregium, &*

Sancti

Sanctum Dei servum, quàm grandem fastum seculi hujus tanto generosiore, quanto humiliore cervice incunctanter excusserit, ut eam subderet Christi jugo, sicut subdidit. Numquid opportunius fuisset Illi Eremitarum Montis Pisarum exempla proponere? tandem inquit: *Ornari a te Diabolus quærit; si calicem aureum invenisses in terra, donares illum Ecclesiæ Dei; accepisti a Deo ingenium, spiritualiter aureum, & ministras libidinibus, & in illo satanæ propinas te ipsum? Noli, obsecro, sic aliquando sentias, quam misero, & miserando pectore hoc scripserim, & miserearis jam mei, si tibi voluisti.* Quare nihil ex hac Augustini Epistola, nihil ex Licentii carmine quod huic Epistolæ insertum est exsculpent Lancilloti sequaces. Qui plura de hac fictitia commoratione legere cupit, adeat Pennotum in Hist. Trip. Part. I. cap. 10. & seqq. Multis etiam argumentis Chronologicis Illam evertit noster Nicolaus Desnos in Canonico seculari, & Regulari lib. 3. cap. 8.

Non solum autem locus hanc narrationem Lancilloti fabulosam ostendit, sed etiam tempus, quo Illa contigisse dicitur; tempus enim assignatur illud, quo nondum inchoaverat Libros de Trinitate Augustinus, voluntque, S. Docto-

Doctorem ſtatim poſt Converſionem ſuam, dum ſacris Litteris adhuc minus erat inſtructus, de ſublimiſſimo SS. Trinitatis Myſterio expoſitionem tentaſſe; quod falſum omnino eſt; Hos enim Libros jam Epiſcopum inchoaſſe, ipſemet fatetur in ſecundo Libro Retractationum: in quo non alios Libros ponit, quam, quos in Epiſcopatu elaboravit; in Italia autem nondum fuiſſe Epiſcopum, imo nec Presbyterum, omnibus, qui in actis Auguſtini etiam leviter tantum verſati ſunt, evidentiſſimum eſt. Quare, ſi a cæteris etiam erroribus immunis eſſet hæc Relatio, ex hoc ſolo capite eſſet rejicienda. Necdum tamen nobis licet ex Italia diſcedere.

§. V.

De Inſcriptione quadam Sacelli in Hetruria, deque cauſa interruptionis Librorum de SS. Trinitate.

Maximæ virtutis apud quosdam ſcriptores Neotericos viſa eſt Inſcriptio cujusdam Sacelli, de qua ita habet citatus ſupra Martinus Cruſenius. *Adhuc hodie extat*, inquit, *circa illum locum* (prope centum Cellas) *Sacellum cum Eremitica domo antiquiſſimum; ubi in lapide exciſa, & fere ob antiquitatem exeſa, chara-*

characteribus Antiquitatem maximè redolentibus, *servatur Epigraphe hujus tenoris:*

SIVE VIATOX ES, SIVE INQUILINUS,
EREMITARUM VENERARE DOMUM, VENERARE SACELLUM
UBI PRÆFULGIDUM ILLUD ECCLESIÆ LUMEN, AUGUSTINUS,
EGREGIUM DE TRINITATE OPUS INCHOAVIT,
QUOD MIRIFICO CÆLESTIS PUERI JUXTA BERTOLDI,
LITTUS SIBI APPARENTIS ORACULO INTERMISSUM,
IN AFRICA TANDEM SENEX ABSOLVIT.

Hac ipsa Inscriptione etiam triumphat Torellus ad annum 388. Jacobus Philippus Bergomensis ait, hæc contigisse ad mare Liburnum, Portum Pisanorum; triumphum tamen ante Victoriam canunt, quotquot in hac Inscriptione magnam fiduciam ponunt; easdem enim difficultates patitur, quas supra memoravimus. Multùm quidem ponderis apud æquos rerum æstimatores habent Inscriptiones antiquæ, verùm, ut Antverpienses Biographi animadvertunt, Illa styli non est medio ævo usitati; recentior ergo, quàm, ut pro vera, ac genuina admitti possit. Juxta Inscrip-

tionem hanc denuo Libros de Trinitate difficillimos inchoasset in Italia statim post Conversionem suam, adhuc Laicus; quod falsum est, ut supra demonstravi. Tandem juxta hanc Inscriptionem interrupisset Opus de Trinitate S. Augustinus propter oraculum hujus pueri; quod minime veritati consentaneum est, totique Inscriptioni omnem Fidem adimit, ac ejusdem fallacias apertissime prodit; si enim cælesti monitu, & tam memorabili Apparitione desistere debuisset ab incœpto Opere, Illud certe absque manifesta erga Deum inobedientia complere nunquam fuisset ausus; quod tamen est factum. Immo, quod maximè hic ponderandum, ipsemet S. Doctor Libro I. de Trinit. fatetur quòd de SS. Trinitate scribendi Laborem susceperit NB. Jubente & adjuvante Deo hisce verbis: *Ego suscepi hæc jubente & adjuvante Domino De nostro, non tam cogrita cum Authoritate disserere, quàm ea cum pietate disserendo cognoscere* l. c. cap. 5. Accedamus tamen Augustini Retractationum Libros, & ex proprio Illius ore excipiamus venerabundi causam, cur Libros de Trinitate interruperit?

Librum Retractationum secundum hac phrasi incipit: *Librorum, quos Episcopus elaboravi, primi duo sunt ad Simplicia-*

p*icianum*, &c. Ex hisce verbis patet, S. Antistitem in hoc Libro secundo eos recensere *Libros*, quos jam Episcopus scripserat. Capite XV. fatorum meminit, quæ opus de Trinitate habuit, ac hunc in modum sctibit: *Libros de Trinitate, quæ Deus est, quindecim scripsi per aliquot annos; sed cum eorum duodecimum nondum perfecissen, & eos diutius tenerem, quam possent sustinere, qui vehementer Illos cupiebant, subtracti mihi sunt, minus emendati, quam deberent, ac possent, quando eos edere voluissem. Quod posteaquam comperi, quia & alia eorum apud nos Exemplaria remanserant, statueram, Eos jam ipse non edere, sed sic habere; ut in alio aliquo Opusculo meo, quid mihi de his evenerit, dicerem, urgentibus tamen fratribus, quibus resistere non valui, emendavi Eos, quantum emendandos putavi, & complevi, & edidi, adjungens Eis a capite Epistolam, quam scripsi ad Venerabilem Aurelium, Episcopum Carthaginensis Ecclesiæ; quo, tanquam Prologo, exposui* NB. *&, quod accidisset, &, quid facere mea cogitatione voluissem, &, quid Fratrum charitate compellente fecissem.*

Cum ista legerem, fateor, ingenti profusus sum lætitiæ; credebam enim, me in descripta ab Augustino ad Aurelium Carthaginensem Epistola certò

certiùs inventurum, quid accidisset Augustino, quòd hosce Libros interruperit. Nec spe mea delusus sum. Ecce! ipsam Epistolam :

Beatiss. & sinceriss. charitate venerando, S. Fratri, & Consacerdoti, Papæ AURELIO AUGUSTINUS in D. S.

De Trinitate, quæ Deus summus, ac verus est, Libros juvenis (circa initium scilicet adepti Episcopatus) *inchoavi, senex edidi. Omiseram quippe hoc Opus, posteaquam comperi, præerepto mihi esse, sive subreptos, antequam Eos absolverem, & retractatos, ut dispositio mea fuerat, expolirem; non enim singillatim, sed omnes simul edere ea ratione decreveram; quoniam præcedentibus consequenter inquisitione proficiente nectuntur. Cum ergo per eos homines, qui priusquam vellem, ad quosdam Illorum pervenire potuerunt, dispositio mea nequivisset impleri, interruptum dictationem reliqueram, cogitans, hoc ipsum in aliquibus meis scriptis conqueri, ut scirent, qui possent, non a me fuisse eosdem Libros editos, sed ablatos, priusquam mihi Editione mea digni viderentur. Verùm multorum Fratrum vehementissima postulatione, & maxime tua Jussione compulsus, Opus tam laboriosum, adjuvante Domino, terminare curavi,*

curavi, eosque emendatos, non, ut volui, sed, ut potui; ne ab illis, qui subrepti jam in manus hominum exierant, plurimum discreparent Venerationi tuæ per filium nostrum, Diaconum Charissimum mihi, & cuicunque audiendos, describendos, legendosque permisi: in quibus si servari mea dispositio potuisset, essent profecta etsi easdem sententias habentes, multo tamen enodatiores, atque planiores, quantum rerum tantarum explicandarum difficultas & facultas nostra pateretur. Sunt autem, qui primos quatuor, vel potius quinque etiam, sine proœmiis habent, & duodecimum sine extrema parte non parva. Sed, si eis hæc Editio potuerit innotescere, omnia, si voluerint, emendabunt. Peto sane, ut hanc Epistolam seorsum quidem, sed tamen ad caput eorundem Librorum, jubeas anteponi. Ora pro me.

Hac sola Epistola Opus est ad prosternendam hujus fabulæ machinam. Hæc Augustini verba: *Omiseram quippe hoc Opus, posteaquam comperi, præreptos mihi esse, sive subreptos, antequam absolverem &c.* Apertissimæ falsitatis convincunt Sacelli, supra memorati Inscriptionem; si etiam cætera omnia non obstarent: Illis enim detegitur genuina, vera, ac unica causa, cur Opus de Trinitate per annos plures seposuerit; quia,

quia, antequam totum illud compleret, Libri præcedentes fuere prærepti. Deseramus itaque, parvulo hoc disparente, Italiam, & Liburni Littora; sacræ peregrinationi nos accingamus. In Africam denuo migrandum; fors Illum reperiemus in ipsa Augustini Cellula.

§. VI.

Detegitur tandem Origo hujus fabulæ.

Reperitur inter Augustini Epistolas, Operum Tom. II. Edit. Lugdunensis una scripta ad Cyrillum Hierosolymitanum, cui adjuncta est altera Cyrilli ad Augustinum. Harum prima nos movit, ut aggrederemur hoc iter. In prima Epistola, qua de morte S. Hieronymi agit, S. Doctor mirabilem visionem narrat, quam habuisse se ait in Hipponensi Cellula. Ita loquitur:

(Ut multa merita Hieronymi Sanctissimi non lateant, quid erga me, divina annuente clementia, in ipso sui obitus die acciderit, enarrabo. Eodem namque die, & hora, qua exutus putredinis, & immunditiæ carnis toga, Hieronymus SS. Vestimentum perpetuæ immortalitatis, inæstimabilis lætitiæ, & gloriæ induit. Eram Hippone, in Cellula mea, quiescens, avide cogitans,

tans qualis ineſſet animabus Beatorum, qui cum Chriſto gaudent, gloriæ, & Lætitiarum quantitas, cupiens inde ex hac materia brevem componere tractatum, precibus compulſus noſtri Severi, quondam Venerabilis Martini Tuicinenſis Epiſcopi diſcipuli, charta, calamo, pugillarique in manibus ſuſceptis, ut brevem ſcriberem Epiſtolam, SS. Hieronymo deſtinandam, ut quidquid ex hoc ſentiret, reſponderet; ſciebam enim in tam difficili quæſtione, a nullo alio viventium me poſſe melius doceri, & evidentius; cumque jam ſcribens ſalutationis exordium, Hieronymo prænotarem, ineffabile ſubito lumen noſtris inviſum temporibus, noſtriſque minime linguis declarandum, cum ineffabili, inauditaque odorum omnium fragrantia cellulam, in qua ſtabam, intravit hora jam Completorii. Quo a me viſo, ſtupore, admirationeque commotus, animi, & membrorum virtutes repente amiſi; neſciebam enim tunc quod dextera mirabilis Dei exaltaſſet ſervum ſuum, notas faciens in populis virtutes ſuas: Neſciebam etenim, quod Deus antiquæ miſerationis, ſervum ſuum fidelem a carnis immunditiis diſſolviſſet, & tam ſublimem Ei in cælo ſedem paraſſet. Neſciebam certe inveſtigabiles vias Domini, neſcie-

bam thesauros infinitæ Dei sapientiæ, & scientiæ, secreta & occulta Dei Judicia non cognoscebam; quoniam, quos vult, facit sua ineffabili sapientia ad sui agnitionem venire; quos autem prædestinat, vocat, Justificat, & Beatificat, procul decernit, convenire. Itaque, quia talem oculi mei nunquam perspexerant lucem, olfactus meus odorem non senserat, novis tam auditis miris obstupescebam. Inter hæc autem meis in me perstrepentibus cogitationibus, quid hoc esset, de luce hæc dicens verba vox emicuit: Augustine! Augustine! quid quæris? putasne, brevi immittere vasculo mare totum? Brevi includere pugillo terrarum orbem? Cœlum firmare, ne usitatos exerceat motus? Quæ oculus nullius hominum videre potuit, tuus videbit? Quæ auris nulla per sonum hausit, aut &c. audiet tua? Quæ cor humanum nullatenus intellexit nec etiam cogitavit, existimas, te posse intelligere? Infinitæ rei quis erit finis? Immensa qua mensura metieris? Potius totum mare in arctissimo claudetur vasculo, potius terrarum orbem parvulus teneret pugillus, potius Cœlum a motu continuo desisteret, quam gaudiorum, &, gloriæ quibus Beatorum

rum animæ sine fine potiuntur, vel minorem intelligeres portiunculam; nisi, uti ego, experientia docereris. Discure adhuc breve temporis spatium. Hic non quæras, quæ non alibi, nisi, quo tam feliciter properas, inveniri possunt. Hic satage, talia exercere Opera, ut postmodum ibi, quæ aliqualiter hic intelligere cupis, in æternum habeas. Unde qui intrant, nullatenus exeunt. Ad hæc ego, pavore stupens, admiratione tam invisa, pene amens, omni quasi vigore carens, his verbis aliqualem sumens audaciam, tremebunda voce dixi: Fas utinam mihi foret, qui tam felix es, tam gloriosus, tam honorifice ad illa properans gaudia, qui tam dulcia Eloquia gutturi meo facis, non ambigere. At ille inquit: nomen meum quæris? Hieronymi illius Presbyteri tui transmittendam Epistolam jam scribens, cepisti; sum enim (anima) quæ hac in hora in Bethleem Juda, carnis onere deposito, Christo, omnique cælesti comitata cohorte, omni decorata pulchritudine, omni illustrata splendore, illo induta immortalitatis deaurato vestimento circumamicta, omnium bonorum, & gaudiorum varietate, terrenorum omnium triumphatrix, omni diademate coronata, omni beatitudine, & felicitate vallata jam nul-

lum deinceps exſpecto gloriæ defectum, ſed augmentum, tam glorioſe, tamque ineffabiliter pergo ad regna cœlorum, ſine fine manſura. Quando iterum jungar corpori glorificando, & non morituro, ſed gloriam, quam nunc ſola habeo, habituro, in illo ſcilicet carnis Reſurrectionis die. Siſtamus parumper. Sufficere hæc poſſent Viſionariis quibusdam ſcriptoribns, quibus nil jucundius accidit, quam, hujusmodi Relationibus, ex orbe altero advectis, fulcimentum ſuis, male præconceptis opinionibus, in factis mere hiſtoricis, ſuperaddere; præſertim, quando ſolidiora iisdem ſtabilientis eos deſtituunt fundamenta. Juvat nihilominus pergere in illorum gratiam; ut Illorum mens, paſta chimæris, liberaliori ſaturertur pabulo. Longa quidem, ſcribit in præfata Epiſtola Auguſtinus; Pater clariſſime Cyrille, verborum texeretur ſeries? Si omnia, quæ glorioſa illa anima mihi perſcrutanti patefecit, ſcriberem in hac brevitatis Epiſtola; ſpero enim, quod Bethleem ad tantas Reliquias viſitandas, permittente Deo, veniam non poſt multos annorum circulos, ubi tunc, quæ audivi, & in ſcriptis tradidi, videbis perſpicaciter. Pluribus itaque horis illa glorioſiſſima anima ibiden mecum manens Trinitatis Sanctiſ-

Sanctissimæ unitatem, & unitatis Trinitatem, Filii a Patre generationem, Angelicas Hierarchias, & Ordinis, & eorundem beatorum Spiritum mysteria, beatarum etiam animarum gaudia, & alia utilia, & gravia humanis intellectibus quam subtiliter quam evidenter, quam mirabiliter, & delectabiliter mihi patefecerit avido, si omnium hominum linguis loquerer, non explicarem sermone. Deinde a meis quidem oculis Lux illa disparuit; sed multis postmodum diebus ineffabilis odoris suavitas remansit.

Habemus modo gloriosam Hieronymi animam in ipsa Augustini Episcopi Cellula, ea ipsa momentem, quæ cælestis ille Puer monuisse dicitur. Putasne, brevi immittere vasculo mare totum &c. Potius totum mare in arctissimo clauderetur vasculo &c. Aut Puerum cælestem in animam Hieronymi, aut animam Hieronymi in hunc cælestem puerum immigrasse dicerem; nisi anima Hieronymi hoc puero affabilior, & humanior per aliquod horarum spatia incomprehensibile SS. Trinitatis Mysterium, Angelicas Hierarchias, Beatarum animarum gaudia &c. Subtiliter, evidenter, mirabiliter, &

& delectabiliter patefecisset. Admodum autem probabile mihi videtur, totam lepidi hujus pueri fabulam ejusdem cum Epistola esse moduli, & ad illius imitationem a quodam indiscreto S. Doctoris cultore confictam esse; quæ ipsamet conjectura est Viri Doctissimi, præstantissimique Lovaniensis Theologi, Molani, in Hist. Imag. & Pictur. lib. 3. cap. 36. *Alicubi*, ait, *ad pedes Augustini invenies puerum, qui e mari in parvum puteum conetur omnem aquam colligere. Quod desumptum videtur ex Epistola decima septima, quæ in appendice ad secundum tomum Divo Augustino inscribitur: Divi Augustini ad Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum de admirandis Hieronymi præconiis.* Rejicit postmodum fabulam istam argumento potissimum negativo usus, ob silentium tam Augustini, quam Possidii, additque tandem: *Utut hæc referantur, magis plausibilia sunt rudi Populo quàm veritati innixa. Unde hujusmodi picturam*, de puero scilicet apparente, *quæ non est celebris in Ecclesia, tolerandam quidem puto a Clero, ubi posita est, nullo autem modo extendendam.*

Quid jam sentiendum de altera hac visione, in Cellula sua, Augustino Hippone objecta? & hæc Visio minime inter genuina S. Patris decora referenda, nulla-

nullatenus eſt proponenda in Cathedris, aut vulgo propalanda, ſed ad rancidas, ac aniles fabulas merito amandanda eſt; quis enim hic Cyrillus Hieroſolymitanus? Ille ſub Macario Epiſcopo Hieroſolymitano Diaconus, atque Presbyter a Maximo ordinatus, Illiusque Succeſſor in Epiſcopatu fuit, de ſede ſua rejectus, ſæpe Eidem reſtitutus, an. 386. obiit. Illius memoria in omnibus Eccleſiis, Romana, Græca, Syriaca, Ægyptia, tanquam e Sanctis celebrata fuit. Videatur Diſſertatio erudita de vita S. Cyrilli Cap. XVI. quam Sancti hujus Operibus præfixit vir clariſſimus, Dom. Antonius Auguſtinus Touttée Ordinis S. Benedicti, ex Congregatione S. Mauri. In hac Diſſertatione extra omne dubium ponitur S. Cyrilli annus obitus; Sozomenus enim Lib. 7. cap. 14. mortem ejus poſt Ruffinum cum Timothei Alexandrini morte conjungit. Mortuus autem eſt Timotheus ex Socrate lib. 5. cap. 12. Conſulatu Arcadii primo, & Vadonis, qui eſt annus 385. Cum vero aliunde Hieronymus affirmet, Cyrillum octo annis ſub Theodoſio Principe inconcuſſum Epiſcopatum tenuiſſe, non poteſt Ejus obitus citius anno 386. conſignari; cumque Martio menſe deceſſerit, ab extremis anni 378. temporibus, quibus ſedem recu-

recuperavit, ad Martium usque anni 386. menſem plenos, & integros annos octo obtinere non poſſumus, ſed menſes ſex ſaltem deficiunt. Ponamus nunc oculos ſupra annum, quo S. Hieronymus mortalitati debitum perſolvit. Hoc anno 420. contigit, juxta calculum accuratiſſimum, & minime dubium. Supervixit itaque Hieronymus Cyrillum annis 34. Qua ratione ergo, qua arte fieri potuit, ut Auguſtinus mortem S. Hieronymi, S. Cyrillo jam ante annos triginta quatuor mortuo, ſignificare vel potuerit, vel voluerit? Cujus Cyrilli mortem ipſemet Hieronymus in Eccleſiaſticorum Scriptorum Catalogo recenſet. Accedit, quod Divus Auguſtinus anno 386. quo obiit Cyrillus, nondum fuerit baptizatus, & adhuc commoratus Mediolani, adhuc Manichæorum hæreſi infectus, neutiquam vero in Monaſterii, a ſe conſtructi, Cellula; merito proin Lovanienſes hanc cenſuram præponunt: Impoſtor indoctus fuit, quisquis ſequentes Epiſtolas de obitu Hieronymi confinxit ſub nominibus S. Auguſtini ad Cyrillum Hieroſolymitanum, & Cyrilli ad Auguſtinum; nam conſtat, Cyrillum ante Hieronymum obiiſſe. Merito etiam laudatus Touttée utramque hanc Epiſtolam *ſtolidas, & inſanas nequiſſimi nebulonis, qui eas Epiſtolas venerandis SS.*

Patrum

Patrum nominibus ſuppoſuit, ineptias vocat. In monito ad ſuppoſitas haſce Epiſtolas pag. 371. Non videtur peſſimus impoſtor aliud habuiſſe conſilium, cum utramque hanc Epiſtolam confingeret, quam hoc, ut ſub Cyrilli nomine latens Monothelitarum hæreſim tutius propagaret: expreſſe enim cap. 4. Epiſtol. Cyrilli ad Auguſtinum, certiſſimum, & Catholicum de duabus Chriſti voluntatibus Eccleſiæ Dogma peſtiferæ hæreſis vocabulo notat, quæ vox Monothelitharum erat. Nullius itaque momenti ambæ Viſiones ſunt, & ad veram Auguſtini laudem nihil conferunt; non enim mendaciis, aut fabellis laudari amant Sancti, coram illius Throno ſtantes, qui ipſiſſima, & æterna veritas eſt.

§. VII.

An conſtanter hæc Pueri Apparitio S. Auguſtino fuerit adſcripta?

Hoc affirmare nemo auſit; hæc enim Viſio etiam tribuitur ab aliquibus Scriptoribus Alano de Inſulis, qui ex Civitate Inſulenſi Gallo-Flandriæ Metropoli oriundus, Moderator Scholæ Parienſis, Ciſtercienſis Monachus, & Doctor Theologiæ univerſalis nuncupatus fuit. De quo præter plures alios

alios agunt Oudinus, Trithemius, Holtcot, Schedelius, Sixtus, Possevinus, Caveus, Olearius, & præsertim Carolus Vischius, qui plurima corrasit hujus Alani in vita illius Elogia, & omnia Ejusdem scripta edidit, ac anno 1294. obiisse probat ex Epitaphiis, & plurimis aliis monumentis. Trithemius de Illo ait, *miranda multa de Ipso narrantur, quibus ego fidem nec adstruo*, nec temere infringo. De script. Eccles. num. 527. Inter hæc miranda merito locum primum sibi vendicat hæc Apparitio pueri Alano facta, cum de altissimo Mysterio SS. Trinitatis altero die exponendo cogitarat. Totius rei seriem cum omnibus circumstantiis Joannes Buzelinus Jesuita in Gotoflandria sua tomo secundo lib. 7. ad annum 1294. apud citatum Carolum Vischium narrat, qui vult, hanc historiam, simplici omnino stylo descriptam se legisse in procemio cujusdam Commentarii in *Parabolas Alani* a centum, & quinquaginta annis Lugduni typis editam anno 1561. sine nomine authoris, sed quem jam constat, fuisse Mathæum Bonhomium. Audiamus Illius verba, admiremur miracula, spectemus Mysteria. Hunc in modum Buzellinus loquitur.

Author hujus Libri (Parabolarum) vocabatur Alanus, de quo legitur, quod, cum

cum quadam die ſtuderet Pariſiis ſciens, ſeptem artes liberales, nec non leges atque decreta, ſuam ſcientiam propoſuit exponere, ſimulque in fructum redigere, ſeu explicarei Et cum in craſtiuum de *tota Trinitate* prædicare vellet, & ſcientiam & notitiam veram de Illa cunctis audientibus exhibere: Ipſo pergente ad ſpatium prope Ripariam, Riviere quamdam, cogitans, quemdam puerum invenit, qui tenens unum cochlear in manu, faciens unum parvam foveam, modicam procul ab Raparia. Et hauriens aquam cum ſuo cochleari, portabat ad foveam, quam fecerat, & inſtanter, ſicut puer appoſuerat aquam in fovea, aqua in terram intrabat; quia locus erat arenoſus. Quod videns Alanus, dixit, puero: O puer! quid hic agis? & puer reſpondens dixit: Totam iſtam ripariam in foveam meam ponere propoſui, nec ceſſabo, quouſque propoſitum meum implevero. Cui Alanus: quando putas feciſſe? Opus tuum licet ſit puerile, tamen eſt impoſſibile. Cui puer: Hoc citius fecero, quam tu propoſitum tuum adimpleveris. Et Alanus reſpondens dixit: Quid enim propoſui facere? Et puer dixit: Tu propoſuiſti cras declarare totam Trinitatem, per tuam ſcientiam in prædicatione, quod eſt magis impoſſibile

tibi. Quod audiens Alanus, multum territus, reverſus domum, & dicta pueri in ſe memorans, multumque dolens, ac triſtis, ſuam præſumptionem, ſive arrogantiam recognovit. Adveniente vero die craſtina, & hora prædicationis, ubi multitudo magna populi fuerat congregata, Alanus aſcendens Cathedram, dixit loco Thematis: ſufficiat vobis, vidiſſe Alanum. Verecundia ſuffuſus, pergere nolens Pariſiis tranſivit in Burgundiam, & in quadam Abbatia, Ciſtercium nomine, paſtor ovium fuit, & deinde converſus fuit ipſius Abbatiæ, ad modum Laici.

Habemus modo eandem Apparitionem Auguſtino exhibitam, ut prætenditur, a medii ævi ſcriptoribus, ac ob eamdem cauſam Alano tributam, variantibus tamen circumſtantiis veſtitam. Cum autem veritas ſemper ſibi conſtare debeat, & ſoleat, merito hujusmodi narratio Eruditis, ac prudentibus ſuſpecta ſit oportet. Veterum, aut coævorum authoritatem fruſtra hìc requiras. Non deſunt tamen ſequioris, & recentioris ætatis Scriptores, qui in Commentarios ſuos hiſtoricos hanc narratiunculam, ceu veritatem certam, retulere; mox enim addit laudatus ſupra Conradus Viſchius lib. 2. §. 2. hanc eam-

eamdem Historiam refert, & eam in Menologia ad 30. Januarii Chrisostomus Henriquez; ubi dicti Commentarii authorem nominat Mathæum Bonhomium; unde NB. nomen hoc hauserit, non exprimit Sed & Trithemium, Antonium de Verdier, & plures alios, tam antiquos, quam recentiores, hanc legisse, satis colligitur ex testimoniis Illorum, quæ supra posuimus. Quod hic Trithemium concernit, legeritve, vel non? in dubio hic reliquo. Saltem aperte nihil indicat verbis, supra a me citatis. Antonius Verdierius, qui circa finem Seculi decimi sexti mortalem vitam posuit, si antiquiorum scriptorum testimoniis fuisset usus, haud dubie horum fidem adduxisset Vischius. Ille proin merito a nobis desideratur.

Cupido me incesserat, dum ista legerem, etiam evolvendi Menologium Benedictinum, a viro clarissimo, & immortalis nominis Historiographo, Gabriele Bucelino, Imperialis Monasterii Weingartensis Theologo editum, ac inveni Illum hanc eandem narratiunculam die 30. Januarii eidem inseruisse pag. 80. & 81. in vita hujus Alani. Vix tamen Ille scrupulum cordatis Lectoribus, de hac re dubitantibus, eximet citationibus Authorum, sub finem appositis.

ſitis. Addit inſuper alias circumſtantias, a Joanne Buzelino, & Viſchio narratas, quas Caſimirus Oudinus ceu fictitias, explodit; quibus ego, ut cum Trithemio loquar, *nec fidem adſtruo, nec temere infringo.* Si viro cuidam Erudito, ſive ex Illuſtruſſimo Ordine Ciſtercienſi, aut ex celleberrimo Benedictinorum Inſtituto, hujus Apparitionis decus placuerit Magno Alano aſſerere, pace mea id fieri poterit, nec contradicendi mihi animus eſt. Qualiscunque ſit hujus pueri, integrum mare in tenuem foveam infundere tentantis gloria, ſaltem hanc ad Magni Auguſtini veras Laudes pertinere, perſuaderi numquam potui, & de Illa ſilente Poſſidio, ſacris Oratoribus quoque in Cathedra Eccleſiaſtica ſilendum eſſe cenſeo. Mihi ſufficit, hic demonſtraſſe hujus Viſionis fabulam non conformiter Auguſtino fuiſſe adſcriptam, & ex conſequenti traditionem illius vacillare, & nullatenus iis dotibus eſſe inſtructam, quæ prudentum aſſenſum mereatur.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An S. Auguſtinus viderit Chriſtum in carne, ſub habitu peregrini.

§. I.

In Operibus S. Auguſtini de hac re altum ſilentium.

Vulgaris de Laudibus S. Auguſtini perorantium narratio eſt, nullius tamen veteris ſcriptoris ſuffulta teſtimonio, S. Auguſtinum tria optaſſe; primo ſcilicet, videre Chriſtum, in carne converſantem, ſecundo, cernere Romam in priſtino Imperii flore triumphantem, tertio, audire Paulum in Sede, & Cathedra fulminantem. De hiſce tribus votis Raviſius, Lipſius, & plures alii ſcripſerunt; quæ etiam Julius Scaliger eleganti complexus eſt Epigrammate, ita canens:

Ne egredere e ſolo, ac tetrico, Pater alme, receſſu,
 Ut JEſum videas; Chriſtus ubique tibi eſt.
Ne egredere, ut Paulum auſcultes, magna illa ſonantem:
 In cœlo Paulus mox tuus hoſpes erit.
Ne egredere, ut Romam ſpectes, ſtomachabere;
 Rama erit in Roma nulla reperta tibi.

Etſi autem Auguſtinus veterem illam Romam, Ejus pompam, arcus triumphales, luxumque immenſum, dum adhuc in flore ſubſiſtere, non viderit, vidit tamen novam, & meliorem hanc Reginam urbium, Orbisque Dominam, quam devictis tot hæreſum monſtris, ſub ſuavi Chriſti jugo triumphantem, fideique Catholicæ primariam ſedem penna quoque ſua glorioſiorem, & magnificentiorem reddidit, totque Eidem victorias, & triumphos peperit, quibus Roma vetus nec in Cæſaribus, nec in Pompeis ſpectavit ſimiles. Et quis gentium Doctorem audiendi deſiderium improbet? Si ſcripta Pauli, & Oratio mortua tantum in Auguſtino potuit, ut ex inolitæ conſuetudinis, & voluptatis cœno, divina opitulante gratia tam cito, tam prompte emergeret. Quid non potuiſſet tota viventis Pauli fulminans eloquentia? Vix enim poſt auditam cœlitus vocem *tolle lege, tolle lege*, in illa Pauli ad Romanos 13. non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione; ſed induimini Dominum JEſum Chriſtum, oculos conjecerat, quaſi fulmine ictus, Auguſtinus, ex lupo in agnum, ex vitiorum mancipio in Magiſtrum ſanctitatis, & Eccleſiæ Catholicæ perſecutore,

in

in Doctorem fidei univerſalem evaſit, Chriſtumque induit. Hæc omnino ſolida Auguſtini ornamenta ſunt; an vero etiam Chriſtum viderit in carne, in forma peregrini, & pauperis, ſecum converſantem ſolidiùs nunc disquirendum ſumo.

Laborem omnino fruſtraneum in me ſuſciperem, ſi hujus rei fundamenta in ipſis Auguſtini Operibus inquirerem; nihil enim de Apparitione hac in iisdem reperiri, teſtes omni exceptione majores eſſe poſſunt tot viri litterati, qui, ut Acta Auguſtini, Ejusque genuina decora orbi exponerent, omnes, ac ſingulos ſcriptorum ſuorum apices ſunt ſcrutati, plurimaque, quæ latuere hactenus, in publicam lucem ex his produxerunt, quæ ſummopere ad cumulandas juſtas hujus S. Doctoris laudes conducunt. Hos inter merito primas obtinent Doctiſſimi PP. Benedictini in Gallia ex Congregatione S. Mauri, qui nihil ſimile in monumentis Auguſtini detexere, famoſiſſimi Sanctorum Biographi, Jeſuitæ Antverpienſes, qui Apparitioni huic in Commentario ad vitam Auguſtini §. LIV. fidem nullam habent. Reverendiſſimus noſter Cæſar Benevenutus de Crema in ſcriptis S. noſtri P. verſatiſſimus, ac plane linceo viſu præditus, piiſſimus tandem ſcriptor

Nebridius de Mindelheim, in vita magni Ecclesiæ Doctoris, ex ipsius Sancti hujus Præsulis genuinis Operibus collecta de mirabili hac scena pisce magis muti sunt; etsi pro objecto majorem Dei, & S. Legislatoris sui gloriam habuerint. Neque certi parvi momenti Augustini silentium est; quis enim credat, spectaculum tam illustre Illum voluisse perpetuo damnare silentio, qui Libro 22. de Civitate Dei docet, *Miracula certa non esse celanda.* Testatur insuper Possidius in vita cap. 3. Edit. Rom. anni 1731. *Augustinum de iis, quæ Illi Deus cogitanti, atque oranti intellecta revelaverat, & præsentes, & absentes sermonibus, ac libris docuisse.* Quem autem de amicis suis, Deo pariter secum servientibus, de hac Christi, in carne sibi apparentis miro prodigio, vel sermone, vel libro, vel Epistola instruxit? Dum luctam spiritus, & carnis suæ Libro 8. Confess. cap. 11. describit, minime dissimulat, quæ seu mentis, seu corporis oculis viderit, quando Ei aperiebatur ab ea parte, qua intenderat faciem, casta dignitas continentiæ, & audiebat voces illas: *Tu non poteris, quod isti, & istæ?* Narrat mox capite sequenti, quomodo vocis cælestis monitu, quasi pueri, aut puellæ, cum cantu dicentis, & crebro repetentis: *Tolle, lege, tolle*

lege,

lege, fuerit ad Deum conversus. Recenset libro 10. Confess. cap. 43. quid ei contigerit, de fuga in solitudinem cogitanti. *Conterritus*, inquit *peccatis meis, & mole miseriæ meæ, agitaveram in corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem; sed prohibuisti me, & confirmasti me, dicens: Ideo pro omnibus Christus mortuus est, ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed Ei, qui pro ipsis mortuus est.* Non silet lib. 7. Confess. c. 10. mentis suæ raptum, mirabilemque excessum, &, quæ viderit oculo animæ suæ, sincerissime aperit. Probabile itaque nullo modo, si Christus in forma peregrini, & pauperis apparens Augustino Ecclesiam suam personaliter commendasset, in Ejus libris factum hoc solum silere voluisse; cum tamen ejus revelatio ad Dei gloriam animarumque salutem promovendam summopere conduxisset. Facile prævideo, non defuturos, qui argumentum hoc negativum toties a me jam usurpatum saltem hic cum nausea, & risu excipient, quasi illo concluderetur nihil. Hos ad Dissertationem de vi negantis argumenti Joannis Launoii remitto; qui statim in Dedicatoria sic præfatur: *Eos, qui sine ullo discrimine rejiciunt abnutivum argumentum, tanquam si nihil difficultatis in eo possit esse, non intelligere, quomodo intelligendus sit canon ille, quo ex negativis nihil*

concludi ſtatuitur. Id quod adeo certum, conſentiente etiam Papebrochio in Reſp. Apolog. ad Artic. 19. num. 6. atque evidens eſt ſenſato cuivis, ut is, qui iſtam Launoii ſcriptiunculam excutiendam ſumpſit Magiſtellus Carnotenſis, ipſo ſtatim initio, & ante omnia obſervet, rejiciendas non eſſe quaslibet Argumentationes negativas, neque temere, cum aliqua opponitur, exclamandum, ex negativis nihil concludi; quia Scriptores ſacros ipſa Concilia, & Eccleſiæ Doctores bene multos, qua antiquioris, qua recentioris ætatis, inficialibus argumentis uſos fuiſſe, ſatis, ſuperque compertum habemus; cum eæ præſertim res agitantur, quæ in facto, uſu, aut traditione conſiſtunt. Eruditis ſatisfaciet ſola immortalis Ludovici Antonii Authoritas qui Anecdotorum tom. 2. cap. 21. Suſcipit negativi Argumenti Patrocinium hiſce verbis: *Sed jam quosdam mihi reponentes audire videor, hanc argumentandi rationem enervatam, plumbeamque eſſe, quippe argumento, ut loqui appellant, negativo, nil poteſt probari. Ita fortaſſe reſpondeant, qui Eccleſiaſticam Eruditionem, neque a limine ſalutarunt, totumque cerebrum tricis Scholaſticis devovere. Nam, quantum roboris negativo inſit, tum luculentus hac de re tractatus prodit, tum univerſa Eruditorum respublica quoti-*

quotidie experitur. Et quo pacto, amabo, commenta, fabulæque explodi atque exsibilari possent, quæ in posteriorum temporum historias irrepsere, nisi Antiquorum silentium *pluris, quam imperita audaxque recentiorum loquacitas penderetur? affirmant hi ad arbitrium suum, gestaque a temporibus suis remotissima somniant: illi vero ne volam quidem, vestigiumque earum rerum reliquere, relicturi sane, si illarum notitiam habuissent. Et nos affirmantium potius imperitia, quam tacentium doctrina duci sinemus?*

§. II.

An S. Augustino hæc Visio facta sit, degenti in solitudine?

Primus, qui hanc Visionem mundo hactenus incognitam manifestavit dicitur, fuisse Jordanus de Saxonia, Eremita Augustinianus, qui ab anno 1370. usque ad annum 1380. floruit, minime autem anno 1410. sicut Trithemius scripsit, notatus ideo a Caveo. Scripsit Ille multa pro Ordinis sui gloria, & plures certe fabulas nesciret orbis, nisi a suis Sodalibus ejusdem verba excepta fuissent, tanquam Oracula. Hos inter Aloysius Staibanus cap. 9. *Templi Augustiniani*, quasi aureo vellere dives, Jor-

Jordani hujus authoritate nixus, narrat, *Christum Dominum Augustino, degenti in solitudine apparuisse specie pauperis; cui Ille pedes laverit, disparentemque Christum Augustino dixisse hæc verba: Magne P. Augustine! Filium Dei in carne hodie videre meruisti.* Hoc inquit, refert Jordanus de Saxonia, in sermone quodam, quem ex Libro quodam S. Prosperi Aquitani fecit de S. Augustino, & confirmatur a Fernando Hispano.

Jungam Jordano ætate proximum, Canonici Ordinis scriptorem, Joan. Mauburnum, non contemnendæ authoritatis, ac Eruditionis non modicæ virum. Pauci quidem Illum norunt. Fuit autem, (ut habet Roseti Exercitiorum spiritualium, quod ex Ejus calamo fluxit, Inscriptio) natione Bruxellensis, vita autem, & Professione Regularis, seu Canonicus, ex Institutione D. P. Augustini, cujus observantissimam egit vitam prius in celeberrimo Cœnobio Montis S. Agnetis Trajectensis Diœcesis. Deinde in Francia, in Regali Abbatia D. Severini, juxta castrum Nantonis, in qua Regularem (quæ multis retro annis penitus corruerat) restituit Disciplinam; postremo in Liuriacensi Monasterio, in quo, cum expulsis inde irreformatis moribus, Canonicæ, Regularisque Observationis viros collocasset, cum Eisque aliquanto tem-

tempore vixiſſet, Abbatis functus Officio, *honorifice ſepultus eſt.* Trithemius Libro de viris Illuſtribus ait: Vivit adhuc, ut intelligo, in oppido Campis, ſocius Confeſſoris Monialium, & varia ſcribit ſub Maximiliano anno 1495. Inter alia ſcripſit *Apologiam* pro ordine Canonicorum Regularium, quod *Venatorium* inſcripſit. Et quid ille de Viſione hac? S. Auguſtinum in Roſeto tit. 20. Alphab. 47. alloquens, hæc habet: Hanc tibi Paternitatis dignitatem, Proſpero teſte, ſummus indidit rerum Parens: *Cujus cum laviſſes pedes, dixit tibi: Magne P. Auguſtine! Filium Dei hodie in carne videre meruiſti.*

Rem fuſius, & quaſi ſpectator præſens fuiſſet, enarrat Cornelius Lancillotus. Exſcribam fideliter ejus verba ex Libro vitæ S. Auguſtin. II. cap. 13. *Cum Sanctimoniæ, ac Doctrinæ fama Auguſtini per Africam longe, lateque propagaretur, non pauci mortales conſolationis ergo, & conſilii, de rebus fidei ad Eum referebant. Quod cum non mediocriter Religioſam Ejus quietem interturbaret, a priore loco, quem incoluerat, ſeceſſit ad interiora Ejusdem deſerti, & prope montem quemdam aſperum, qui duo milliaria paſſuum inde aberat; quo difficilior aditus ad Eum eſſet. Quem etiam, velut anteſignanum, ſunt*

ſunt proſecuti Religioſi Fratres, deſtitui nolentes tanti viri præſentia, ac circumcirca, veluti caſtra metantes, omni ſanctitate refulſere; quos identidem Auguſtinus ipſe viſitans, in Deo animavit, & ſpiritualibus deliciis refecit. Inter hæc pietatis Exercitia etiam hoſpitalitatem, quoad potuit, benevolentiſſime ſemper exhibuit; adeo, ut etiam domicilio, ac cellula hoſpites exciperet, memor, in eis ſe Chriſto miniſtrare. Unde referunt D. Proſper, & Ferdinandus ab Hiſpania, Joannes Mabumeus (Idem eſt cum Mauburno) & alii, contigiſſe Auguſtino, quod paucis mortalium eveniſſe legimus; cum enim die quadam, in meditatione rerum divinarum exardeſceret, fores cubiculi, in quo tum erat, pulſavit hoſpes quidam, longo, ut videbatur, itinere pene confectus: Quem Auguſtinus, pro ſuo in Deum, proximumque amore, miſericorditer amplexatus, ſedere juſſit, pedesque Ejus, magna cum animi demiſſione lavit, & pro more ſuo fuit deoſculatus. Qua humanitate exhibita, peregrinus ſe detexit, &, velut gratias reddens Ei, dixit: Magne P. Auguſtine! Filium Dei in carne hodie videre meruiſti; tibi commendo Eccleſiam meam. Quo dicto ſtatim diſparuit, & D. Auguſtinus non mediocriter attonitus pro tanta familiaritate, tamque manifeſte receptis ab Eo beneficiis gratias egit.

Nico-

Nicolaus Crusenius in Monastico Augustiniano P. I. Cap. VII. pro Monachismo Augustini adstruendo, Visionem hanc, ceu Machinam, adhibet hisce verbis: Possum huc citare S. Prosperum, Ferdinandum ab Hispania, Eipiscopum Tarraconensem, Joannem Mabuernum sive (Mauburnum) Canonicum Regularem &c. qui referunt, Christum apparuisse S. Augustino forma Peregrini, in Eremo Tagastensi, Illique commendasse Ecclesiam suam magnis illis vocibus: Magne P. Augustine! Filium Dei hodie in carne videret meruisti; tibi commendo Ecclesiam meam.

Torellum, aliosque recentiores scriptores, prætereo, qui fere omnes sola Jordani de Saxonia authoritate nixi, venerabilem testium veritatis numerum in hac parte non augent. Quod autem ipsum Jordanum attinet, in vita Augustini de hac Apparitione altum silet; ubi locum opportunissimum habuisset, stabiliendi. *Ex Ejusdem* autem *Sermonibus*, inquit Joannes Stiltingus S. J. Tomo VI. Aug. in Commentario prævio ad vitam Augustini §. LIV. *plura referuntur, quæ fidem ægre invenient.* Et certe fabulosum est, quod asserat, Visionem hanc Augustino oblatam esse, degenti *in solitudine* ad Tagastam; atqui in solitudine Augu-

Augustinus nunquam vixit. *Conterritus peccatis meis;* inquit loco supra cit. *& mole miseriæ meæ, agitaveram in corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem; sed prohibuisti me* (Deus) *& confirmasti me dicens: Ideo pro omnibus Christus mortuus est, ut, qui vivunt, jam non sibi vivant &c.* Si jam vixit in Solitudine; qua veritate scribere potuisset, *se fugam in solitudinem* tantum fuisse *meditatum?* An contra prohibitionem Dei tam manifestam, *Solitariam vitam* in Eremo duxerit? Tagastæam hanc Solitudinem invictissimis argumentis evertit Pennotus noster Hist. tripar. Parte I. ostenditque, Augustinum usque ad Presbyteratum Tagastæ vixisse Laicum, talesque etiam fuisse suos Socios, quibuscum communem vitam duxerat. Neque certe triennalis hæc solitudo latuisset Possidium, & commemoratione fuisset dignissima; quod tamen factum non est: Imo S. scriptor testatur contrarium. Placuit Ei (Augustino) inquit cap. 3. percepta gratia, cum aliis civibus, & amicis suis, Deo pariter servientibus, ad Africam, & propriam domum, agrosque remeare; ad quos veniens, & in quibus constitutus ferme triennio, & a se jam alienatis curis secularibus (hic bene notetur, quod omnes manu scripti Codices, quod viderunt PP. Benedictini

ex

ex Congregatione S. Mauri hæc verba: *Curis Secularibus*, omittant; alii habent: A se jam *alienatis pristinis vitiis* cum iis) qui Eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque Operibus meditans die ac nocte. Hæc verba: *In quibus constitutus*, si cum præcedentibus conferantur, evidenter ostendunt Augustinum per hoc triennium in propria domo Tagastæ, ac in agris propriis, hoc est, in bonis, & possessionibus propriis, quarum hæreditas illi, Matre nuper defuncta obtigerat, vixisse & non in solitudine. Atque in hac paterna sua domo licet in jejuniis, ac Orationibus meditaretur die ac nocte, non destitit tamen, suorum concivium servire commodis; quod manifestum est ex Nebridii Epistola, quæ inter Augustinianas est Numero 114. *Itane est*, scribit, *mi Augustine? fortitudinem, ac tolerantiam negotiis civium præstas, necdum tibi redditur illa exoptata cessatio. Vellem ergo te in rus meum vocare, ibique acquiescere; non enim timebo seductorem tui dici a civibus tuis, quos nimium amas, & a quibus nimium amaris.* Judicent æqui Lectores, an hæc verba pertinere possent ad hominem degentem in solitudine?

Ad hæc: verosimile nullo modo est Augustinum adhuc Laicum, hisce vocibus

bus a Christo fuisse compellatum : *Magne Pater !* reliqua autem verba quæ Lancellotus addit : *Tibi commendo Ecclesiam meam*, prorsus conficta esse censeo ; nec enim illa Staibanus ex Jordano de Saxonia recitat, nec illa habet Mauburnus quem itaque falso citat : ex quonam ergo Idoneo scriptore illa desumpsit ? An ex Ferdinandi de Hispania sermone? Innititur Ille authoritati Jordani de Saxonia ; qui tamen nihil de his vocibus habet. An exscripsit ex S. Prospero? Hic solus rem jam in extrema tegula sitam salvabit. Sit ergo

§. III.

An visio hæc occurrat in Opere aliquo S. Prosperi ?

Exultabam magna cordis lætitia, cum apud Lancellotum in margine S. Prosperi nomen legerem ; præsertim, cum illud etiam apud Mauburnum occureret : mox autem desiit in luctum musica ; quod neuter horum designaverit ex S. Prosperi Operibus, in quo sedem habeat tam honorifica Augustini visio. Non tamen adeo leviter dimittendus est magnus hic Ecclesiæ Catholicæ vindex, ac pro ferendo Testimonio testis omni exceptione major ; non enim tantum

tum Augustini ævo floruit, sed dulce cum Eo Litterarum commercium habuit, Doctrinam Illius in omnibus fuit sectatus, famamque Augustini, non viventis modo, sed & jam mortui, contra obtrectatores hæreticos acerrime defendit. Fors Viam nobis planiorem ostendet Jordanus de Saxonia. Sed adhuc hærendum nobis est in bivio; Staibano enim teste, tantum *Librum quemdam S. Prosperi* in sermone *quodam* nominat; & quis tandem ille Liber est? Nihil de visione hac habet in Epistola ad Rufinum, de gratia, & Libero arbitrio: nihil in Libro contra Collatorem, nihil in Commentario in Psalmos, nihil in Sententiis, ex Augustini Operibus collectis, nihil in suo Chronico, nihil in Carmine de ingratis de illa reperitur, nihil, ut uno verbo dicam, in cæteris Prosperi Operibus, de quibus Litterario orbi constat, hac de re occurrit. Volvi, & Revolvi elegantissimam Editionem, Parisiis anno 1711. factam; sed casso labore: Eadem proin querela hic a me repetenda est, quam Stiltingus instituit: *Nec in Operibus S. Prosperi, nec in vita S. Augustini, quam scripsit Jordanus de Saxonia, nec apud ullos scriptores de mirabili hac visione quidquam memoratum invenio.* Conqueri simul nobiscum poterit Lancellotus, se

aut a Staibano, aut a Mauburno, nimium credulis, fuiſſe deceptum.

Laudatur quidem Auguſtinus a S. Proſpero, quod Ejus vigilantiſſima induſtria pro univerſis Chriſti membris vigilet, & adverſus hæreticarum Doctrinarum inſidias veritatis virtute pugnet, in Epiſtola præfixa Libro de Prædeſtinatione. Audit D. Proſpero Auguſtinus vir Beatiſſimus, & præcipua portio Domini Sacerdotum. Ait, Auguſtinum copioſe, & pulchre in multis voluminum Diſputationibus deſtruxiſſe Pelagianorum verſutias, utpote inter multa Dei dona, inquit, quibus Illum abundantiſſime ſpiritus veritatis implevit, habet etiam hanc ſcientiæ, & ſapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non ſolum iſtam (Pelagianam hæreſim) adhuc in ſuis detruncationibus palpitantem, ſed etiam multas prius hæreſes invicto verbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad Illuminationem Eccleſiæ, & ad gloriam Chriſti, qua ipſe illuſtratus eſt, quidam noſtrorum (quod de ipſis multum dolendum eſt) occultis, ſed non incognitis ſuſurrationibus obloquuntur. In Epiſtola ad Rufinum. Viginti, inquit alibi, & eo amplius, anni ſunt, quod contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies, hujus viri

viri ductu pugnat, & vincit. In Libro contra Collatorem. In Carmine de ingratis, non tantum amplissimas Augustini Laudes canit, sed simul etiam ardentissimum Ejus amorem in Christum celebrat.

Unus amor Christi est, inquit, unus
Christi est honor illi,
Et, dum nulla sibi tribuit bona, fit
Deus illi
Omnia, & in Sancto regnat sapientia
Templo.

Hæc, & plura alia Augustini Elogia apud S. Prosperum lego; de prætensa Visione autem, iterum dico, nihil lego: Qua etsi caruerit, commendatissimam tamen sibi habuisse Christi Ecclesiam, omnia abundantissime probant; nec fabulosis narratiunculis opus, ut hoc Augustino asseratur decus. Nec magni Doctoris Ecclesiæ, nec hospitalis Episcopi, nec Pauperum Patris titulos amittet, tot illustribus meritis, ac virtutibus emptos, quos nemo denegabit, qui Augustinum novit; qui enim fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum. Hospitalitatem, inquit Possidius, semper exhibuit. Ejusdem ædes, ut Episcopum decet, Officiorum, & Hospitalitatis ergo cuivis patebant, omnem charita-

tem peregrinis, omnem misericordiam erga pauperes exhibuit. Habebant in Illo inopia pressi largitorem, tutorem pupilli, viduæ protectorem, Liberatorem captivi, Consolatorem mœsti, ægroti medicum, ignorantes Doctorem. Satagebat cum Paulo, ut omnibus omnia fieret, tantaque miseratione tangebatur, ut in defectu peculii, & exhausto Ecclesiæ ærario, etiam vasa Dominica frangi, & conflari jusserit, & indigentibus dispensari, teste Possidio in vita cap. 24. Illud præcipue hic memorandum: mos erat apud Hipponenses, ut quot annis vestirent aliquot pauperes. Hæc laudabilis consuetudo, quam prius egenorum Pater introduxerat, Eo absente, semel ob calamitatem temporum prætermissa fuit. Id intelligens, & hanc negligentiam ægre ferens, in Epistola 138. ad Clerum, populumque Hipponensem, post alia scribit in hunc modum: nuntiatum est mihi, quod morem vestrum de vestiendis pauperibus fueritis obliti; ad quam misericordiam, cum præsens essem, vos exhortatus sum, & nunc exhortor: Ne vos vincat, & pigros faciat contritio hujus mundi, cui talia videtis accidere, qualia Dominus & Redemptor, qui mentiri non potest, ventura prædixit. Non solum ergo non debe-

debetis minus facere opera misericordiæ, sed etiam debetis amplius, quam soletis. Hæc benignitas erga pauperes satis etiam eruitur ex memorabili Ejus effato, quod in *Sermone 49. de diversis* protulit; ubi publice Auditoribus suis dicit, non esse Episcopi, servare aurum, & manum mendicantis repellere. Hæc, & similia e sacro pulpito declamanda, hæc super tecta prædicanda, hæ solidæ laudes magni Ecclesiæ, & Egenorum Patris Augustini sunt, quibus ad imitationis studium, in quo præcipuus consistit Sanctorum cultus, populus accendatur. Hoc modo facile omnes intelligent, vere Augustinum in forma pauperis, ac peregrini, Christum domi suæ excepisse; non quidem in carne, ac modo visibili, sed longe meliori, quam ipsemet S. Doctor explicat, dum Zachæo factam gratiam miratur, cum Christus in Ejus domo diverteret. O beatum Zachæum! exclamat; Dominus intravit in domum ipsius. O Beatum! numquid nobis ita potest contingere? Jam Christus in cœlo est. Recita mihi, Christe, Testamentum novum, fac beatum de lege tua. Recita, ut scias, te non fraudari Christi præsentia. Audi Judicaturum: Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Matth. 25. Exspectat unusquisque

vestrum Christum sedentem in Cœlo; attendite Illum jacentem in porticu. Attendite esurientem, attendite frigus patientem, attendite egenum, attendite peregrinum, facite, quod soletis, facite, quod non soletis. Crescit Doctrina, crescant Opera bona; laudatis sementem, exhibete messem, Serm. 19. c. 18. de diversis. Quid hac exhortatione potentius? quid solidus?

§. IV.

An S. Augustinus viderit Christum, & B. V. ac Illius Sanguine, hujus vero materno lacte fuerit potatus.

Non infrequentes ætate nostra spectantur Pictorum Tabulæ, Augustinum repræsentantes medium inter amantissimum Salvatorem nostrum, Illum sanguine ex latere profluo pascentem, inde vero sanctissimam Ejus Matrem lacteum imbrem S. P. Labiis instillantem, cum Inscriptione: *Hinc pascor a vulnere, hinc lactor ab ubere; positus in medio, quo me vertam, nescio.* Quotquot dicti hujus meminere hactenus, nullam indicarunt in S. Doctoris Operibus locum, in quo illud reperiatur. Augustinum ferventissimum JEsu Christi, Ejusque Matris Virgineæ fuisse cultorem, satis quidem con-

conſtat, nemoque, niſi perfrictæ frontis, negare hoc auſit. Præterea omnium, tam veterum, quam Recentiorum ſilentium aperte demonſtrat, Eos, quibus prima debetur picturæ hujus inventio, minime voluiſſe, quod in raptu, aut Apparitione aliqua hæc verba Auguſtino exciderint. Quare hanc Tabulam minime ad veritatem aliquam hiſtoriæ indicandam, inventam fuiſſe, exiſtimandum eſt, neque ullo modo huc trahi, aut pro genuina Auguſtini vendi ſententia debet, quibus laudandi Auguſtinum demandata eſt provincia; aliud enim conſilium, alia mens non fuit piis S. Doctoris cultoribus, quam, picto hoc Emblemate ſpectantinm oculis exhibere internos affectus Auguſtiniani cordis, tenerrime erga JEſu Chriſti vulnera, Matrisque divinæ miſericordiæ ubera affecti, addito Lemmate: *Poſitus in medio, quo me vertam, neſcio.* Videtur autem Lancillotus plus requirere, atque aſſerere Apophthegma hoc ab Auguſtino inter Chriſtum, Ejusque Matrem genua flectente, ne vera fuiſſe uſurpatum. Fors non deerunt indiſcreti nonnulli devotuli, qui omnino SS. Præſulem, & ſanguine paſtum, & lacte, ex favore extraordinario, & miraculoſa Apparitione potatum, ex hujusmodi pictura audebunt contendere;

quemadmodum a nonnullis vitæ S. Bernardi ſcriptoribus eſt factum: Hi tamen omnes audiendi non ſunt; cum ex vetuſtate documentum nullum afferre poſſint, quod Illorum opinioni fulciendæ eſſet opportunum, ſive ex Poſſidio, ſive ex ipſo Auguſtino. *Quod argumentum, etſi negativum tantum ſit, majoris tamen*, ut inquit Joannes Pinius in citata ſupra de D. Bernardo, lacte Mariano potato controverſia, Tomo Auguſt. 4. ad diem 20. Aug. *Non raro eſt momenti, ſpectatis rerum, ac ſcriptorum circumſtantiis, quam affirmativum.* Præterire hic ſilentio non poſſum, in eam me venire opinionem, Repræſentationi huic occaſionem dediſſe, quod Lancillotus narrat lib. 3. vitæ S. Auguſtini cap. 31. Pro Sigillo, ac Inſignibus Venerabili Eremitarum Ordinis S. Auguſtini a Romano Pontifice, cujus nomen ſilet, B. V. veluti Matrem ac Patronam ſingularem datam eſſe; in quorum area B. V. dextera parte conſtat, veluti totius Ordinis Cuſtos, ac Patrona; ſiniſtra vero cernitur Auguſtinus, Monaſticis, & Pontificalibus amictus veſtimentis. Adhæc Redemptor humani generis, cruci affixus, inter duas columnas, & arcum triumphalem ſpectatur cum his Lit. I. C. XC. id eſt, JEſus Chriſtus. Hanc crucem Monachus quiſpiam, omnium alio-

aliorum vice, complectitur, estque hæc sententia in scuti ambitu : *Augustinus Lux Doctorum, malleus hæreticorum.* Citatur in margine Henricus Seripandus in Comp. an. 100. Hanc gloriam celeberrimo Ordini minime invideo ; inde tamen nihil subsidii pro Apophthegmate hoc, ab Augustino vel semel usurpato, eruent, quibus zelus est, pro cultu S. Patriarchæ minus eruditus ; si enim concedatur liberaliter, hoc Insigni Pontificem quemdam ornasse Eremitarum Ordinem, qua consequentia ergo Augustinus hanc sententiam protulit ?

Cum iis autem rem omnino nullam habere lubet, qui cum Neotericæ Religionis asseclis hoc Lemma : *Positus in medio, quo me vertam, nescio*, summæ impietatis arguunt ; causantur enim, vocem omnino Augustino esse indignam : Quasi vero fuisset dubius animi, an ad Filium potius, an ad Matrem se converteret ; ad Filium, inquam, Redemptorem, Salvatorem nostrum, in quo nos omnes oportet salvos fieri : qui pretioso sanguine suo redemit mundum, qui infinito meritorum suorum Thesauro Patri æterno nos reconciliavit peccatores, ad quem, ceu unicum Meditatorem nostrum, & Advocatum respicere sacræ paginæ jubent. An ergo, ajunt, in

in parallelo ponenda erit cum Filio? quæ finiti ad infinitum, creaturæ ad creatorem proportio? excuſanda hic certo venit piorum Catholicorum, hoc Lemma ſubſcribentium, intentio. Omnes norunt diſcrimen ingens Matrem inter, & Filium; expreſſo tamen per hanc ſubſcriptionem amantis Auguſtini æquilibrio, nil aliud inſinuare ſpectantium oculis, animis que voluere, quam hoc, SS. Præſulem ita cælitus amoris ſuis flammulis exarſiſſe erga Redemptorem ſuum, ut ſimul etiam eas direxerit erga dilectiſſimam Matrem, ita Matris dilectiſſimæ fuiſſe amantem ut ſimul amorem ſuum inde magis accenderit erga Filium; utriusque beneficiorum ingentium memor, quod nempe Filius redemerit amariſſima morte, per ſua vulnera, Materque Redemptorem ſuum lactaverit per materna ſua ubera. Novit optime Auguſtinus, quo primario ſe vertat, novit diſcrimen ingens inter creatorem & creaturam, novit ſe indigere infinito meritorum theſauro Filii, & *anathema eſſe qui non amat Dominum JEſum Chriſtum.*

A primis unguiculis, cum lacte Matris, jam venerationem diviniſſimi illius nominis imbiberat. Lectio Hortenſii, Ciceronis excitavit illum ad ardorem Philoſophiæ. *Ego illo tempore, ſcis tu lumen*

lumen cordis mei, quia nondum mihi hæc Apoſtolica nota erant, nempe verba Pauli ad Coloſſ. 2. c. 8. *videte, ne quis vos decipiat per inanem Philoſophiam, & inanem ſeductionem ſecundum Traditionem hominum, ſecundum elementa hujus mundi, & non ſecundum Chriſtum; quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter* lib. 4. Confeſſ. 4. *Excitabar ſermone illo, & accendebar, & hoc ſolo in me tanta flagrantia refrigebat, quod nomen Chriſti non erat ibi: Quoniam hoc nomen ſecundum miſericordiam tuam, Domine, hoc nomen Salvatoris mei, Filii tui, in ipſo adhuc lacte Matris, tenerum cor meum pie biberat, & alte retinebat; & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis Litteratum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.* Lib. X. Confeſſ. Cam. 43. *Ecce Domine*, exclamat, *jacto in te curam meam, ut vivam, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Tu ſcis imperitiam meam, & infirmitatem meam, doce me, & ſana me. Ille tuus unicus* (JEſus Salvator) *in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ abſconditi.* Coloſſ. 2. v. 3. *redemit me Sanguine ſuo Non calumnientur me ſuperbi.* Pſalm. 11. v. 3. *quoniam cogito pretium meum*, & *manduco* & *bibo*, & *erogo*: *& pauper cupio ſaturari inter illos, qui edunt & ſaturantur, & laudabunt Dominum.* In hac

hæc verba glossatur Henricus Wagnereckius, (*Cogito pretium meum*) Sanguinem Christi, (& manduco & bibo) in Missæ Sacrificio (& erogo distribuens Eucharistiam communicantibus. Ecce! hic Augustinum *Sanguine potatum.* Quantum exarserit Augustinus erga SS. Salvatoris vulnera, præsertim hians vulnus Lateris, cujus Sanguine in hac Emblematica pictura potatur, satis indicat tenerrimus affectus, quem prodit Libro de tempore barbarico cap. 7. & 8. ubi hæc præter cætera habet: *Si Petrus, antequam Christus pro omnibus crucifigeretur, Regni Cælorum claves accepit; qua illuc intravit latro; ille jam non reus, nisi per latus, quod aperuit Judæus? Et nun veniant omnes, quicumque amant paradysum, locum quietis, locum securitatis, locum perpetuæ felicitatis, locum, in quo non pertimescas barbarum, in quo nullum patiaris adversarium, nullum habebis inimicum. Venite omnes, intrate omnes, &, qua possitis intrare, patet latus; ostendit enim ille latro, quo debeant omnes intrare, neminem suo exemplo docuit desperari. Contendite, ait Dominus, intrare per angustam portam. Quid angustius illo foramine, quod unus e militibus, percutiendo latus Crucifixi aperuit? Et tamen per has angustias jam totus mundus intravit. Venite*

&

& vos, Judæi! vocat vos, quem crucifixiſtis, Filius Dei; contendite intrare per anguſtam portam: Per hanc enim introiverunt Patres veſtri. Illi, ut crucifigeretur, clamaverunt, qui in ligno ſuſpenſum viderunt, qui irriſerunt, qui caput agitaverunt; per iſtas tamen anguſtias introiverunt: Non enim inaniter ille clamabat, ille pendens in cruce: Pater, ignoſce illis; quia neſciunt, quid faciunt. Per has ergo, ut dixi, anguſtias, per anguſtam portam Lateris Chriſti ingreſſus eſt Latro mutatus, pœnitens Judæus, converſus omnis Paganus, & ab Eo exiit foras malus hæreticus.

In Tractatu 120. in Joannem, eadem phraſi, ac Seraphico erga Latus JEſu crucifixi accenſus amore, diſcurrit, tractans illud: *Unus militum lancea Latus Ejus aperuit. Vigilanti verbo*, inquit, *Evangeliſta uſus eſt, ut non diceret, Latus Ejus percuſſit, aut vulneravit, aut quid aliud, ſed aperuit; ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manaverunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera vita eſt, non intratur. Ille Sanguis in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, aqua illa ſalutare temperat poculum. Hoc prænunciat, quod Noë in latere arcæ oſtium facere juſſus eſt, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia.*

Qiud

Quid iſto Sanguine mundius? Quid Vulnere iſto Salubrius? Rata hæc habet omnia ſæpe alibi Auguſtinus, & nominatim quoad oſtium arcæ, vulneri Lateris aptatum, Libro de Civit. 15. cap. 26. rurſusque Lib. 12. contra Fauſtum cap. 39. Non mirum ergo, quod ex mente Auguſtini, in piiſſimo Libello, quod *Manuale Auguſtini* dicitur, c. 23. hunc reperiamus Illius affectum: *Clavi, & Lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus ſum Chriſto, ſi Eum amavero. Longinus aperuit mihi Latus, & ego intravi, & ibi requieſco ſecurus. Qui timet, amet; quoniam charitas foras mittit timorem. Nullum tam potens eſt, & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam Mors Redemptoris. Extendit ſua brachia in cruce, & expandit manus ſuas, paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio.*

Notiſſima pariter eſt Auguſtini Doctoris pietas maximi in Deiparam, ad quam laudandam, & invocandam Ejusdem verbis ſæpius Eccleſia utitur in Breviario, Ejusdem affectibus, tributisque Laudibus Mariophili ſcriptores plena implent horrea, quibus omnium Chriſtianorum fidelium erga tantam Matrem devotio inflammatur. Minime

hic

hic recurro ad fabulas, quibus aliqui filialem ſancti Doctoris erga Dei Genitricem affectum, devotionem, ac cultum inædificant. *In Monaſterio B. Mariæ quod Regula dicitur*: Narrat Herrera in Alphab. Part. II. pag. 366. *Atque Ordinis eſt Auguſtiniani ad Littus Oceani in Hiſpania, famoſa atque antiqua eſt Imago B. Virginis quam voluerunt aliqui ab Auguſtino olim cultam.* Verum quibus tabulis, quibus documentis: id probatur? *Ferunt, Anno MDCXXX. (pergit cit. Scriptor,) cuidam Religioſo revelatum, ſacram hanc Deiparæ imaginem ex Africa poſt D. Auguſtini mortem ab Eremitis Auguſtinianis in Hiſpanias adductam; adduntque Dæmonem, qui fœminam quamdam obſidebat Anno MDCXXX. ab exorciſta compulſum declaraſſe: eam Imaginem ab Auguſtino olim cultam ex urbe Tagaſtenſi allatam a S. Cypriano Diacono, Eremita Auguſtiniano; & in Hiſpaniæ devaſtatione a Ven. F. Simone, Eremita etiam Auguſtiniano & Cœnobii Priore occultatam; & in eo Cœnobio vixiſſe noſtros Eremitas CCLXX. annis atque adeo advecta fuit imago Anno CDXLIII.* Hanc Relationem ipſemet Herrera ſuſpectam habet, quare addit: *Hæccine Revelationes præcipue his temporibus, & Dæmonum Teſtificationes, caute examinanda ſunt, & mature expendenda: Neque facile hominum*

T quo-

quorumcunque Revelationibus, aut Dæmonum teſtimoniis fides adhibenda. Apage cum his nugis! hujus modi furfure opus non habet Mariana Auguſtini pietas, ex genuinis ejusdem Operibus ſatis demonſtrata. Satis ille prodit ſuam fiduciam, quam in Mariæ præſidio poſuit in Sermone 18. de Sanctis, quæ *de annuntiatione* inſcribitur, quem Lovanienſes germanis aſciſcunt, cujusque Orationis formam ipſamet Eccleſia Catholica frequentem in uſum recepit. In hac Beatiſſimam Dei Matrem hoc modo ſuppliciter orat: *Admitte noſtras preces intra Sacrarium exauditionis, & reporta nobis Antidotum Reconciliationis. Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus: Fiat impetrabile, quod fida mente poſcimus. Accipe quod offerimus: redona quod rogamus: Quia tu es ſpes unica peccatorum. Per te ſperamus veniam delictorum; & in te Beatiſſima, noſtrorum eſt exſpectatio præmiorum. Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes &c.* Quæ voces jam in ore ſunt omnium Chriſtianorum. Hunc ipſum ſermonem pro genuino Auguſtini fœtu agnoſcit Benedictus XIV. in Commentario de Feſtis B. V. Mariæ Numero CXXXII. Idem ſentit Florentinius in Notis ad Martyrolog. ad diem 8. Septembris. Scio, a nonnullis hunc Sermonem attribui

tribui S. Fulgentio, ſed notandum, id proveniſſe ex falſa inſcriptione, olim enim *de Nativitate B. V.* inſcriptus fuit; conſtat autem S. Auguſtini ætate nondum *B. Mariæ Nativitatem* celebrari conſueviſſe. Unde ait loco citato Doctiſſimus ac Maximus Pontifex: *Quod attinet ad ſermonem illum D. Auguſtini, qui legitur in officio hujus diei* (ſcilicet 8. Septembris) *in eo quidem genuinus S. Doctoris fœtus agnoſcitur, ſed non in Nativitate, ſed in Annuciatione Deiparæ Virginis habitus eſſe dicitur, & levicula mutatione facta, feſtivitati Nativitatis accomodatus eſt.* Sermo *Auguſtini ſic habet: Gaudeat terra noſtra tantæ Virginis illuſtrata ſolemni die.* At in officio legitur: *Gaudeat terra noſtra tantæ Virginis illuſtrata natali.* Laudatus ſupra Florentinius loc. cit. ait: *Quamquam D. Auguſtini ſermo in Eccleſia legatur, & ipſius revera ſit; Nativitati tamen accomodatus eſt, licet in Annuntiatione dictus fuerit.* In Libro de ſymbolo ad Catechumenos c. 4. Chriſti amantiſſimi Redemptoris, & divinæ Ejus Matris prærogativas pulcherrimo nexu jungit. Sic populum inſtituit: *Iisdem gradibus, quibus perierat humana natura, a JEſu Chriſto Domino noſtro reparata eſt. Adam ſuperbus, humilis Chriſtus, per fœminam] vita, per*

Evam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta, secuta est seductorem, hæc integra peperit salvatorem. Hanc ipsam comparationem exscribit, & ampliat Augustinus ex S. Irenæi Lib. V. cap. 19. In primo suo Libro contra Julianum c. 3. ac *Mariam factam fuisse Evæ advocatam* asserit, ac sic geminato & S. Irenæi, ac proprio suffragio, Opitulatricis, Mediatricisque titulos Eidem confirmavit; de qua re videatur Petavius de Incarnatione lib. 14. cap. 9. §. 2. & 3. In Lib. de S. Virginit. cap. 6. Maria Augustino *Mater spiritualis* audit omnium fidelium. *Fuit*, ait, *Mater spiritu, a quo Illa magis spiritualiter nata est; quia omnes, qui in Eum crediderint, in quibus & ipsa est, recte filii sponsi appellantur. Sed plane & Mater membrorum Ejus*, quod *nos sumus; quia cooporata est charitate: ut omnes fideles in Ecclesia nascerentur: qui illius capitis membra sunt, corpore vero Mater ipsius capitis.* Plura habent Mariani scriptores, ex quibus nullatenus dubitandum, S. Augustinum inter Mariæ clientes, ac cultores minime postremum obtinuisse locum, in qua amanda, & honoranda quis e Sanctis non certavit? Quibus pauci hi racemi non sufficiunt, Indices omnium Operum Augustini, sive in Editionis Lugdunensis, sive

ſive Pariſienſis aut Venetæ adeant; in quibus plenam habebunt Vindemiam: Invenient Linguam hujus maximi Doctoris vere pretioſiſſimo ſanguine Redemptoris madentem, ac lacte Mariano irroratam, hoc eſt: dulciſſimis Mariæ & JEſu Chriſti laudibus plenam, quotiescunque de iis loquendi oblata ipſi fuit occaſio. Quare non ex toto Emblematicam picturam Auguſtini inter JEſum vulneratum, & Matrem Virgineam ſiti improbare quis poterit. Cavendum tamen, ne in Eccleſiaſticis Cathedris illa mutetur in hiſtoriam. Juvabit pro levando Lectoris tædio Elegiacam horum verborum: *Poſitus in medio, quo me vertam, neſcio*, Paraphraſin hic addere, ex Angelini Gazæi e Societate JEſu Poëtæ non ignobilis, ac pie feſtivi *Piis Hilariis* depromptam. Id tamen notandum, pium Poëtam hanc ſuam Paraphraſin edidiſſe absque omni reſpectu ad S. Auguſtinum, cui, ut ominari licet, non auſus eſt Illam adſcribere, idonea authoritate deſtitutus. In ſenſu tamen Catholico interpretemur oportet pii Poëtæ in hoc ævo Liberiorem audaciam.

§. V.

Expoſitio Elegiaca horum verborum: *Poſitus in medio, quo me vertam, neſcio.*

Hæreo, lac inter meditans interque cruorem,
Inter delitias uberis, & lateris.
Et dico (ſi forte oculos ſuper ubera tendo,)
Diva Parens, mammæ gaudia poſco tuæ.
Sed dico (ſi deinde oculos ad vulnera verto,)
O JEſu! lateris gaudia malo tui.
Rem ſcio: prenſabo, ſi fas erit ubera læva,
Et dextera tacitus vulnera corripiam.
Ubere lactari volo, ſed volo ſanguine paſci,
Deliciisque tuis, Chriſte, Maria, tuis.
Vulnera ſed nati tua ſunt, da vulnera, Mater!
Ubera ſed tua ſunt, ubera, Nate, dato.
Ubera ſi abnuitis, concedite vulnera, tandem,
Vulnera ſi abnuitis, ubera ſola date.
Lac Matris miſcere volo cum ſanguine Nati,
Non poſſem antidoto nobiliore frui.

Lacte

Lacte nives anteibo, roſas anteibo cruore,
Efficiet purum mamma, cruor vegetum.
Vulnera reſtituent turpem ulceribus mendicum,
Teſta cui ſaniem radere ſola poteſt.
Ubera reſtinguent pueri ſitientia labra,
Quem Sara non patitur, quem neque nutrit Agar.
Illa mihi ad peſtem procul, & procul expungendam,
Iſta mihi ad longas evalitura febres.
Vanus honos me perpetua prurigine tentat;
Exſaturare queo ſanguine, lacte queo.
Livor inexpleta rubigine ſævit in artus;
Detergere quo lacte, cruore queo.
Ergo Parens, & Nate, meis advertite votis,
Et date, poſſe frui ſanguine, lacte frui.
Parvule, maternis medius qui ludis in ulnis,
Qui tua jam comples ubera, jam vacuas.
Quid me reſpectas obliqua tuentibus hirquis?
Roboris in Cœlum nil modo livor habet.

Sæpe quidem dixti, noxis offensus iniquis,
Tune meas mammas, improbe, tune meas?
Nolo tuas, O! nolo tuas, Puer auree, mammas:
Non ſum tam duri, tam gravis oris homo.
Intrarit Thomæ manus in lateris Mare magnum,
Sanguine regrediens ditior, atque fide.
Non eadem mihi frons; pudor antegreſſus amori,
Eſt deſideriis meta, modusque meis.
Sat foret, efuſi pars exiguiſſima lactis,
Illaque me niveum redderet, imo nivem.
Si ſcintilla poteſt magnas accendere flammas,
Cur non extinguat lactea guta ſitim?
O ſi vel lateris pluat unica, & unica ſtilla!
O ſi de dextræ vulnere gutta fluat!
Si nihil e dextra vis impluere, implue læva;
Si nihil e læva, de pede ſanguis eat.
Si tibi non placeo, vulnus mihi vulnera danto:
Mercedem danto vulnera, ſi placeo.
Sæpe mihi Babylon patera propinat, & auro,
Ingeminatque meis auribus, Euge! bibe!

Non

Non faciam, vel, ſi cœlum miſcebitur orco,
Rumparis, Meretrix impia, non faciam.
O ſitio tamen! o vocem ſitis intercludit?
Nate, cruore ſitim comprime, lacte, Parens!
Dic Matri, meus hic Frater ſitit, optima Mater!
Vis de fonte tuo promere, deque meo?
Dic nato, tuus hic Frater, mi mellee fili!
Captivus monſtrat vincula, lytron habes.
Nate, Redemptorem monſtra te jure vocari,
Fertilior reliquis ſi tibi ſanguis ineſt.
Tuque, Parens, monſtra Matrem te jure vocari,
Ubera ſi reliquis divitiora geris.
O quando lactabor ab ubere, vulnere paſcar,
Deliciisque fruar, mamma, latusque, tuis?
Parce, Deus! magno ſi te clamore fatigem;
Non potis imperio, non potis arte regi.
Exagitante ſiti patientia perdit habenas;
Clamorem ſi vis tollere, tolle ſitim.
Pluris ego clavis, ſaturaſti ſanguine clavos,
Erubuit cuſpis, ſanguine tincta tuo.

Pluris ego pannis, maduerunt undique panni,
Nati a vulneribus, Matris ab uberibus.
Ergo, Parens, & Nate, meis advertite votis,
Et date, poſſe frui ſanguine, lacte frui.
Vultis, emi lacrymis? lacrymas effundere tento;
Sed lacrymæ e duro non abeunt ſilice.

QUÆSTIO IV.

An S. Auguſtinus ex Martyrii deſiderio, & prædicandi Evangelii cauſa profectus ſit in Æthiopiam.

§. I.

Decus hoc in SS. Præſule a nonnullis aſſeritur.

Quid, inquies, Auguſtinus, Martyrii deſiderio profectus ſit in Æthiopiam? Rem nunquid inauditam narro? Inaudita illa quidem non eſt in concionatorum Cathedris, Illorumque Libris, qui in SS. Doctoris laudibus plus, quam æquum, & fas eſt, ſua dilatant philacteria. Nihil Auguſtinus de hac profectione ſua unquam meminit; nihil in Poſſidonio de illa reperies; ut mirum adeo non

non ſit, ſi quæſtionem hanc plurimi aut paradoxam, aut prorſus inutilem exiſtiment. Audi tamen denuo Lancillotum L. 3. in vita c. 1. ita narrantem: *Auguſtinus meritis haud longe Martyribus eſt inferior: ii enim præcipue in civitatibus, queis necantur; Auguſtinus vero per univerſum orbem veræ fidei Teſtimonium illuſtre perhibuit.* Ecce! Auguſtinum parem etiam Apoſtolis, quorum in omnem terram exivit prædicati Evangelii ſonus. *Quare*, pergit Eremitarum Theologus, *ſicut eſt amplioris meriti, fidem Catholicam ſanguine, quam verbo teſtari, ita viciſſim majoris eſt utilitatis, hanc ipſam in orbe toto quam in urbe aliqua tueri.* Quamvis interim non tam Auguſtinus Martyrio, quam Martyrium Auguſtino defuerit; quia non ſemel vitam pro fidei præſidio diſcrimini expoſuit, deſiderio ſalutis animarum, & Martyrii, ut nonnulli volunt. Quin & in Æthiopiam, ubi numeroſiſſima poſtmodum fuere Ordinis hujus Monaſteria, prædicandi Evangelii, Martyriique ſubeundi cauſa, ut ante diximus, Auguſtinus eſt profectus. Huc videtur reſpexiſſe Petrus Damianus: *Auguſtinus*, inquit, vir Beatiſſimus, *nobilis genere, ſed nobilior moribus, ſpiritu ſuperbiæ pauperrimus, miſericordiæ affluens viſceribus, miſerorum coſolator mirificus, Chriſtum Crucifixum ſequens nudum, mundo*

do Crucifixus, in cujus ore non eſt inventus dolus, a ſummo Sacerdote præelectus, ſe ipſum Illi hoſtiam vivens inceſſanter offerens, in ipſo fonte pietatis, ſuis affluens lacrymis, ab omni rubigine vitiorum immaculatus, nuuc SS. Præſulum ſtola indutus, coronam Martyrum multipliciter eſt conſecutus. Miror, Lancillotum ex hoc Petri Damiani textu non in eam abiiſſe ſententiam: Auguſtinum revera Martyrium ſubiiſſe, & quidem mortem Crucis, cum aſſerat Damianus, Auguſtinum mundo fuiſſe crucifixum. Addit tamen: licet in corpore Martyrium haud ſit paſſus, Deo, ſic arbitror, provide ſtatuente, quod ſciret, Eum doctrina, quam ſanguine poſſe fæcundius Eccleſiam ſuam irrigare, ut ipſe ait: Oppugnata prius a Leone in Tyrannis, deinde a Dracone in hæreticis. Nec minor fuit hæc Draconis perſecutio, quam Leonis: ſed, quomodo Leo victus eſt in Martyribus, ita Draco proſtratus eſt in Doctoribus, ac in primis Auguſtino, qui fortiſſimis argumentorum telis cum eo certavit pro Eccleſia Catholica, quam veluti ſponſam, a Chriſto commendatam acceperat. Euge! bene! orbem terrarum ad decentiſſimum hoc Elogium, quo poſtremis hiſce lineis, ut ex Damiano refert Lancillotus, conſentien-

tem

tem habet. Agnoſco lubens, Auguſtinum ſemper paratum fuiſſe proprio ſanguine obſignandi doctrinam Eccleſiæ Catholicæ ob Amorem JEſu Chriſti, qui illam fundavit, & ex latere ſuo genuit. Martyrii deſiderium in tanto Heroe fuiſſe minime denego. Formalem tamen Martyrem publicis ex Cathedris Auguſtinum dilaudare, laus indiſcreta, ac zelus ineruditus foret. Theophilus Raynaudus de Martyrio, per Peſtem. Operum Tomo XVIII. c. 1. n. 7. fuſe oſtendit, ſolam internam Martyrii voluntatem, quantumvis luculentam, non ſufficere ad Martyrium preſſe acceptum, licet meritum poſſit eſſe æquale in eo, cui ipſa Mors infertur, juxta illud S. Paulini *Natali tertio* S. Felicis.

Cœleſtem nactus ſine ſanguine Martyr honorem
Nam Confeſſor obit pœnas non ſponte lucratus,
Acceptante Deo fidam pro ſanguine mentem,
Qui cordis taciti Scrutator ferre paratos
Æquiparat paſſis: Sat habens, interna probaſſe,
Supplicium carnis juſtâ pietate remittit.
Martyrium ſine cæde placet; paſſura voluntas
Sufficit; & ſummi eſt meriti teſtatio voti.

Hanc

Hanc ipſam doctrinam profundiſſime fovet & propugnat Proſper Lambertinus ac Beatiſſimæ memoriæ Pontifex Benedictus XIV. De Serv. Dei beatificat: Lib. III. Cap. XI. Laudent itaque Oratores Sacri in Auguſtino acceptante Deo Fidam pro Sanguine mentem, æquiparent Martyrium paſſis, Aureolam tamen illi non imponant, *quæ non debetur niſi iisque, qui actum externum Martyrii ſuſtinent* ut ait S. Thomas *in 4. Sentent Diſp. 49. Quæſt. 5. Art. 3. quæſtiunc. 2. ad tertium.* Martyrii proin deſiderium in Auguſtino non diſplicet, ſolum iter in Æthiopiam ob amorem veritatis ab eo fuiſſe ſuſceptum ex voto Martyrii probare non poſſum, quod dudum ante me etiam exploſit Eruditus P. Lupus Chriſtianus excellens ſcriptor Ordinis Eremitarum, qui ſanctum Eccleſiæ Doctorem nunquam in Æthiopiam paganam fuiſſe delatum inquit in Notis *ad Serm. 37. ad Fratres in Eremo*, de quo mox plura. Attamen hoc iter Michael Medina aperte aſſerit Lib. 1. de Continentia, & Sermone de S. Auguſtino confirmat, citatus a Lancilloto in margine. Optime! ſi Lancillotus Medinam ſocium hujus itineris fuiſſe probet, aut Medina Auguſtini Itinerarium ex vetuſto, & minime ſuſpecto Codice edat, etiam Poſſidio, & ipſomet Auguſtino

ſtino tacentibus, adverſarius non ero, manibus, pedibusque concedam in illorum ſententiam. At neuter hoc facit; certior fors nos docebit *ſermo de S. Auguſtino.* Superi boni! quam vaga hæc authoritas! quis ille ſermo? Quis illius author? in quonam reperiendus Libro? minime laboris me pœniteat, ſi etiam decumano Opus ſit; ut inveniatur hic Sermo, qui tantum decus Auguſtino adſtruit. Sermones ad Fratres in Eremo adeundos eſſe cenſeo; forſan in his Auguſtinum de ſe ipſo loquentem audiemus.

Ita eſt; minime fallor. Ecce Sermonis 37. verba, quibus ipſemet Auguſtinus hoc iter, &, quid in Æthiopia viderit, Fratribus ſuis in Eremo exponit, haud dubie, cum eſſent congregati in Capitulo. *Ecce ego* (Auguſtinus) *jam Epiſcopus Hipponenſis eram, & cum quibusdam ſervis Chriſti ad Æthiopiam perexi, ut eis S. Chriſti Evangelium prædicarem; & vidimus ibi multos homines, ac mulieres, capita non habentes, ſed oculos groſſos fixos in pectore, cætera membra æqualia nobiscum habentes, inter quos Sacerdotes eorum videmus uxoratos: tantæ tamen abſtinentiæ erant, qui licet uxores Sacerdotes omnes haberent, numquam tamen, niſi ſemel in anno eas tangere volebant.* *Vidi-*

Vidimus & in inferioribus partibus Æthiopiæ homines unum oculum tantum in fronte habentes quorum Sacerdotes a conversationibus hominum fugiebant: ab omni libidine carnis se abstinebant, & in septimana, in qua Diis suis thura offerre debebant, ab omni labe carnis abstinebant se, nihil sumebant, nisi metretam aquæ per diem: & sic contenti manentes digne Sacrificium Diis suis offerebant. Videmus, quem in finem hæc narraverit Solitariis suis Augustinus. *O grandis Christianorum miseria,* exclamat, *Ecce! pagani Doctores fidelium facti sunt, præceptores, & meretrices præcesserunt fideles in Regno Dei. Non ergo sic Fratres, non sic: Dominum non tantum diligamus ore, sed opere, & veritate; tunc veri Ejus Ministri erimus, si sobrie, si juste, si caste vixerimus, qui est benedictus in secula, amen.* Nescio, an hic ipse sermo sit a Lancilloto citatus? Scrupulum mihi movet, quod non *Augustini*, sed *Sermonem de S. Augustino* alleget, quod & F. Nicol. Crusen. in Monasterio Augustiniano facit, qui part. 1. c. 1. Iter Æthiopicum, pariter ab August. susceptum cum Sodali suo propugnat, quin novis argumentis illud suffulciat. Mirum autem est, quod neuter horum ad hunc Sermonem recurrerit, cum verbis hisce: *Ecce ego jam Episcopus Hipponensis eram, & cum quibusdam ser-*

vis Chriſti ad Æthiopiam perrexi &c. Clarius, & fortius Teſtimonium adducere haud potuiſſent. Hoc autem admirationem non leviter auget, quod uterque Sermones ad Fratres in Eremo pro genuinis agnoſcant, & mordicus defendant. Fortaſſis latet anguis in herba; Scrutemur merces vetitas.

§. II.

Hoc iter in Æthiopiam ad ementita decora pertinere, demonſtratur.

Quoniam cauſæ ſuæ arcem alio præſidio defendere haud poſſunt ementiti hujus decoris aſſertores, quam authoritate Sermonis, cujus verba mox recitavimus; Critica expedienda ſunt arma, quibuscum ejus infirmetur robur. Apparatus ſatis magnus contra leves haſce copias in promptu eſt. Unico impetu eſt opus, totumque caſtrum ad deditionem compellemus; nempe totum Sermonem ad Fratres in Eremo, Opus nullius Fidei, nullius ponderis habetur apud eos, quibus ſanum eſt ſinciput, & ſtudio præſertim partium non aguntur. Stant e meis partibus viri Doctiſſimi, Illuſtriſſimi, Eminentiſſimi. Duos nominabo duntaxat Eccleſiæ Catholicæ Cardinales; Baronius, & Bellarminus,

quanta nomina! Baronius tomo 4. ſub anno 382. num. 26. expreſſe fatetur, authorem horum ſermonum illos ſuppoſuiſſe Auguſtino, &, quisquis, inquit, Ille fuerit, certe in hac parte non niſi impoſtor dicendus, cum multorum mendaciorum Sanctum & Doctiſſimum virum conſtitueret aſſertorem; ut in Notis ad Romanum Martyrologium demonſtravimus. Et ad ann. 385. n. 12. hæc habet: *Sub Auguſtini falſo nomine frigidus ille fictor iſta commentus eſt, qui cum in aliis Sermonibus multa deliria vana, & fabuloſa, ſub S. P. nomine imprudenter effutiat, in eo ipſo, ubi iſta ſomniat, qualia, quamve portentoſa menda ia blateret, ſupra indicavimus.* Hæc, niſi fallor, abunde demonſtrant, qualem probabilitatis gradum efficiant ſuperius dicta, ex Sermonibus ad Fratres in Eremo decerpta. Meliorem fidem nec a Bellarmino obtinent; qui in Opere de Scriptoribus Eccleſiaſticis hac cenſura illos ferit: *Sermones*, ait, *ad Fratres in Eremo, videntur magna ex parte conficti; dicit enim author illorum Sermonum, Auguſtinum degiſſe in ſolitudine cum Monachis, ibique ad eos Sermones iſtos habuiſſe. At conſtat ex Poſſidio, in vita Auguſtini, Auguſtinum poſt Baptismum, Mediolani ſuſceptum, rediiſſe in patriam, ad propriam Domum, & agros, ibique tres annos, cum*

paucis

paucis amicis, in commune vixisse: Deinde factum Presbyterum Hipponensem, Monasterium habuisse intra ipsam Ecclesiam, ibique cum nonnullis vitam Apostolicam duxisse, non utique in Eremo, sed intra urbem. Denique factum Episcopum, cum Clericis suis, in Domo Episcopali, vitam communem egisse; de qua re extant duo Sermones ad Fratres in Eremo, 52. & 53. qui duo Sermones, sine Judicio collocati inter Sermones ad Fratres in Eremo, arguunt, alios fictitios esse; inde enim intelligi potest, S. Augustinum Monachum quidem fuisse, sed non in solitudine cum Eremitis, sed in Civitate, & Episcopali Domo cum Clericis suis Monasticam vitam duxisse. Addo, quod inter Sermones ad Fratres in Eremo, multi sunt leves, & fabulosi; ut est Sermo 24. in quo narratur, S. Hieronymum Cardinalem fuisse in Ecclesia S. Laurentii, & veste muliebri indutum, irrisum a Romanis: quæ sunt omnia falsa, & conficta. Addo etiam, quod phrasis horum Sermonum, exceptis duobus de vita Clericorum, qui vere sunt Augustini, & inepta, impropria, & adeo lutulenta sit, ut mirandum veniat, ejusmodi Sermones S. Augustino ab aliquo viro prudente tribui. Utriusque Eminentiss. Scriptoris authoritas maximi quidem ponderis est apud Ipsosmet Venerabiles Eremitas, sub Augustini Regula militantes; ut Sermones tamen omnes ceu spurios agnoscerent,

rent, impetrare non potuit. *Omnes hos Sermones*, inquit Crusenius loco supra citato, cap. 10. *qui sub titulo ad Fratres Eremitas solent deferri, & D. Augustino adscribi, nec possem, nec auderem pro veris S. Augustini monumentis exponere, vel jam olim expositos, offerre, aut exosculari.* Addit paulo infra: *Ex horum Sermonum numero libenter etiam concedam, tres, vel quatuor non esse S. Augustini.* Quis ex hisce verbis non videt, Doctissimum Crusenium parca nimis manu liberalem esse voluisse? Quoniam hic de solo Itinere Æthiopico Augustini agitur, sufficiet mihi demonstrare, Sermonem 37. merito obelo notandum esse cum cæteris quibuscunque demum, Augustino perperam adscriptis. Id autem facile me facturum puto. Falsus hic sermo, & suppositititius est, si ea Augustinum refert vidisse, quæ nunquam vidit. Varia autem monstra hominum Illum vidisse in Æthiopia commemorant, quæ tamen nunquam vidit; ergo spurius, ac suppositititius sermo est. Evolvamus Augustinum L. 16. de civitate Dei cap. 8. de hujusmodi monstris loquentem, ubi differit, an sint revera in reum natura, & an fuerint ex stirpe Adæ propagata, & tandem propositam quæstionem in hunc modum solvit: Quæritur etiam, utrum ex Filiis Noe, vel potius

potius ex illo uno homine, unde etiam ipſi extiterunt, propagata eſſe, credendum ſit, quædam monſtruoſa hominum genera, quæ Gentium narrat Hiſtoria, ſicut perhibentur quidam habere unum oculum in fronte media, quibusdam plantas eſſe verſus poſt crura, quibusdam utriusque ſexus eſſe naturam, & dextram mammam virilem, ſiniſtram muliebrem, vicibusque alternis coëundo gignere, & parere, aliis ora non eſſe, eosque per nares tantummodo ſuſcepto, & emiſſo halitu vivere, alios ſtatura eſſe cubitales, quos pigmæos a cubito Græci vocant, alibi quinquennes concipere fæminas, & octavum annum non excedere. Item ferunt, eſſe gentem, ubi ſingula crura in pedibus habent, nec poplitem flectunt, & ſunt mirabilis celeritatis, quos ſciopodas vocant; quod per æſtum in terra jacentes reſupini, umbra ſe pedum protegant: Quosdam ſine cervice oculos habere in humeris, & cætera hominum genera, quæ in *maritima platea Carthaginis*, *muſivo Opere picta ſunt*, ex Libris deprompta velut curioſioris hiſtoriæ. Quid dicam de Cinocephalis, quorum Canina capita, atque ipſe latratus magis beſtias, quam homines confitetur? Sed omnia genera hominum, quæ dicuntur eſſe, credere

non eſt neceſſe ; verum quisquis uſpiam naſcitur homo &c. Ex his habemus, an viderit hujusmodi monſtra Auguſtinus ? Vidit , ſed *in Libris duntaxat Hiſtoricorum ;* vidit , ſed *in Gentium Hiſtoria* , ſed *in maritima Carthaginis platea , muſivo Opere depicta*, non autem in Æthiopia ; mendax ergo præfatus eſt Sermo.

Forſan dici poſſet , Auguſtinum iter ſuum primum poſt ſcriptos Libros de Civitate Dei ſuſcepiſſe in Æthiopiam ; puto autem , quod non. Fatetur Auguſtinus , quod ætatis ſuæ ſeptuageſimum annum jam exceſſerit , quando hos Libros ſcribebat ; uti habetur ex Libro 18. cap. finali. Quis autem perſuaderi ſe patietur, S. Auguſtinum, ætate jam provectum , qui vigiliis , & jejuniis emaciatum vix trahebat corpusculum , in tantis Africanæ Eccleſiæ neceſſitatibus , periculis , vexationibus , & perſecutionibus hæreticorum , Eccleſiam ſuam deſerere voluiſſe , ac de itinere in Æthiopiam inſtituendo , vel tantum cogitaſſe ? Si ſolus inſpiciatur, poſt annum ſeptuageſimum , ab Ipſo conſcriptorum Librorum numerus , geſta pro bono Eccleſiæ ab Ipſo negotia , copioſæ , de Hæreticis reportatæ victoriæ , & ſuſcepti conflictus animo volvantur , non fabulam ſcripſiſſe , ſed omni-

omnino deliraſſe deprehendetur inſulſus hujus Sermonis figulus.

Præter hæc gemina adhuc, nec parvi momenti, contra hunc Sermonem Pennotus noſter præjudicia affert Hiſt. Tripart. cap. 31. n. 7. In eodem Sermone, inquit, ſæpius Author repetit, & inculcat nomen *Præbendæ*, ad Secularium avaritiam exaggerandam; qui opulentas Præbendas Eccleſiaſticas ſuis procurant, ut ipſi cum Uxore, & Familia de Bonis Eccleſiaſticis gaudere valeant. Verum ubi erant Præbendæ in Eccleſia Hipponenſi, cujus Clerici Canonici, ab Auguſtino ad vitam communem reducti, ubi apud illius ævi Scriptores, & ducentis poſt Auguſtinum annis nomen Præbendæ fuerat uſurpatum? In eodem Sermone, quod eſt alterum, aſſerere Auguſtinum fingit, non licere *Sacerdotibus, manibus operari, lignizare, ferrum fabricare, & ſimilia*; cum tamen contrarium ſtatuat Concilium Carthaginenſe, cui Auguſtinus ſubſcripſit, cap. 51. 52. & 53. Dicant itaque, per me licet ſacri Oratores, Auguſtinum ad Martyrii coronam avidiſſime quidem anhelaſſe, iter autem in Æthiopiam ab Eo fuiſſe Evangelii, & Sanguinis, pro JEſu Chriſto profundendi cauſa ſuſceptum, dicere non poterunt, absque læſione veritatis.

§. III.

De alio fictitio Itinere, a S. Augustino, in Sardiniam, & prolongata per miraculum trabe.

Ab hoc Itinere expediam me breviter, fessus adhuc ex hesterna profectione in Æthiopiam, ex qua, Augustinum sequi volens, eoque non invento, reque infecta, coactus sum, per tot viarum spatia reverti. Propitiisque itaque Vialibus Diis, quæramus Augustinum in Sardinia, lepidum, quod de ipso narratur, spectaturi miraculum. Authores mihi non sunt (licet non paucos vitæ Augustinianæ scriptores possideam) qui ducatum mihi præstent ad longinquum hoc iter. Rogandus mihi erit ex Antverpiensibus Eruditus Joannes Stiltingus, qui hanc mihi notitiam suggessit in prævio ad vitam Augustini Commentario, sæpius a me laudato, §. 54. n. 709. Taurellus, verba sunt Schultingi, ad annum 388. num. 76. S. Augustinum ex Italia in Africam discedentem, Calarim in Sardiniam venisse scribit, ibique miro inclaruisse prodigio. Ingnorarunt Iter illud Sardinicum veteres, aut certe non commemorarunt; ac ne illi quidam Recentiores, qui majore cura secreverunt

certa

certa ab incertis; inter quos Rivius, qui lib. 1. cap. 1. §. 36. Augustinum recta ex Italia deducit in Africam. Verumtamen Torellus non modo in Sardinia fuisse Sanctum contendit, sed etiam curasse, ut prope Calarim, modicum construeretur Monasterium. Perduxerant, inquit, Operii muros Monasterii, & Ecclesiæ ad eam altitudinem, ut trabes iis imponi jam deberent, inter trabes autem unam, in altum jam levatam, invenerunt, justo breviorem, quam deorsum dimiserunt tristes. Sed intuens Augustinus, præcepit uni e suis, ut trabem ab una parte apprehenderet, ipse vero trabis partem alteram assumpsit; tunc ambo viva fide trahentes, effecerunt, ut trabs illa justam acciperet longitudinem, Deo miraculose id operante. Affert pro illo prodigio traditionem communem, & duos Scriptores Neotericos, videlicet Dionysium Bonfant, & Martinum Cariglio, quos vult omni exceptione majores, addens, idem a pluribus esse scriptum: Ex quibus duos, ut probatissimos elegit. *Subrisi*, fateor, pergit Schiltingus, *scribens*, *hanc fabulam; nec necesse est, eam operose refutare: cum sponte sua collabatur; licet illam tanto ardore defendat Torellus, acsi pro aris, ac focis*

 pugna-

pugnaret. Sane ignorare debet, Augustini modestiam, qui existimat, Eum non diu post conversionem suam, tam mira patrare voluisse prodigia; cum humillimus Præsul, extremo correptus morbo, induci vix potuerit, ut ægrotanti manus imponeret. Merito igitur contemnuntur hujusmodi prodigia, quæ sine antiquorum Testimonio, ex fama populari narrantur.

Fateor, & mihi risum movit tam lepida trabis extensio, & visa est a moribus Augustini, Ejusque maturo agendi studio prorsus aliena. Recurrebam ocyus ad Lancillotum, qui omnia utique corraserat, quæ ad Augustini gloriam opportuna credidit, an trabs illa in oculos non occurreret? Spes me non fefellit; in vita enim Augustini lib. 3. cap. 70. trabem hanc spectandam admovet. *Constat etiam* scribit, hoc ipso tempore trabem superesse Calari in Sardinia, quæ divinitus excrevit; cum brevior esset, quam, ut ab una parte Sacelli (ædificabatur hoc juxta D. Augustini sepulchrum) ad alterum latus extendi posset. Ea ipsa trabs in partes quotidie divisa, maxime pro febricitantibus, non imminuitur, nec minimum decrescit. *Ecce trabem*, inquit iterum Stiltingus l. c. cap. 65. n. 837. *non per Augustinum viventem extensam*, quod

quod nec Lancillotus credidit, cum *extensam velit, dum Sacellum ædificaretur, juxta sepulchrum Sancti.* Torellus itaque vult, Augustinum, cum adhuc viveret, & illico post Conversionem suam, & post perceptum Baptismum, venisse in Sardiniam Lancillotus autem hoc iter differt post mortem Calarim; quia sanctum Corpus in illa aliquando fuit positum. Quænam ex hisce contradictionibus pro panegyricis Concionatorum redundat utilitas? Suadendum est ipsis, ut & de Itinere, & de miraculo Augustini in Sardinia perpetrato sileant, auditoribus autem suis Iter perfectionis, quod post Conversionem suam multo ardore, & in continuo virtutum exercitio cucurrit, & prolongatam ab Eo, usque ad mortem seriam pœnitentiam, loco prolongatæ divinitus trabis, ad imitationem proponant.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An cor Sancti Augustini fuerit SS. quinque Vulneribus insignitum?

§. I.

Præambula nonnulla.

Enim vero ingens Augustiniani cordis hæc prærogativa foret. Quis calentissimas Ejusdem flammas nescit, quibus erga sacratissima amantissimi Salvatoris vulnera exarsit? Absit proin a me, ut ingens sanctissimo Legislatori hoc decus eripiam, si ab iis, qui hoc Illi asserunt legitimi testes producantur, & indubiæ tabulæ. His enim productis in medium, eandem insanirem insaniam cum illis, qui, licet Fidei nostræ addicti fuerint, cum Beza, Calvini Sectatore, & Boquino, nullius nauci homine, humillimo inter sanctos Francisco, sacrorum stigmatum gloriam abnegare ausi sunt; contrarium enim piis catholicis usquequaque certum ita est, ut sine absurdissima temeritate, & contra dicendi libidine vocari in dubium minime possit; stant enim pro invicta rei hujus veritate Gregorius IX. in Rescripto

ſcripto Viterbii anno 1237. dato. Apoſtolico ſub Piſcatoris annullo rem hanc firmat Alexander IV. S. Franciſco familiaritate junctus, in conſtitutione edita anno 1255. cujus initium eſt: *Benigna Operatio.* Jungo illi S. Bonaventuram, teſtem quidem domeſticum, omni tamen exceptione majorem; cum ea proferat in vita S. Franciſci c. 12. quæ animum pertinaciſſime credulum rapiant in aſſenſum. Sufficiat teſtium tam illuſtrium ternarius; qui plures deſiderat, Guaresmium, & Theophilum Raynaudum adeat, qui de ſtigmatismo ſacro, & prophano, magno argumentorum pondere Lectorem avidum ineluctabiliter obruet. Adducit ibi elegantiſſimam Franciſci Bencii, Bernardi Bahuſii Epigramata & Horatii Thurſelini; quæ ſi huc transferam, non metuendum mihi eſſe puto, ne faſtidium legentibus cauſem. Bencius quidem ſic apud Boſium 15. de ſignis cap. 3. Sanctum ſibi cognominem aſtatur:

Sancte Patrum, ſpirans Chriſti exſpirantis imago,
Tempore quam nullo deleat ulla dies.
Quas etenim fers ipſe manus, fers ipſe pedesque,
Has tulit ille manus, hos tulit ille pedes.

Nec

Nec minus & teli transfixum cuſpide pectus,
Quale tibi patulo pectore vulnus hiat.
Cuncta eſtis ſimiles; illum qui forte verentur,
Reddere te ſimilem cur imitentur, habent.

Bernardus Bahuſius L. 3. Epigr. ita canit:

Non nequam, Franciſce! bonus dominoque fidelis
Servus eras: plagas cur rear eſſe tibi?
Dignane feciſti plagis? digniſſima certe:
Plagis digna iſtis nam tibi vita fuit.

Nunquid prorſus eleganter & acute? non minore ingenio Horatius Turſelinus, ab Antonio Poſſevino Tract. de Poëſi c. 18. adductus.

Exue Franciſcum tunica, laceroque cucullo,
Qui Franciſcus erat, jam tibi Chriſtus erit.
Franciſci exuviis ſi qua licet indue Chriſtum,
Jam Franciſcus erit, qui modo Chriſtus erat.
Quid cæleſtis amor non audes? pingis amantes
Arte nova, effigies ut ſit amantis amans.

Hæc

Hæc tamen non eo pertinent, inquit laudatus Raynaudus, ut cum aliquibus ineptiamus, asserentes; B. Franciscum receptis stigmatibus tam similem Christo evasisse, ut, si uterque Deiparæ occurisset, vix, ac ne vix quidem primo aspectu fuisset internoscendus. Quod ex insulso quodam Poëta refert Justinianus Anbistius in Disput. pro Imaginibus B. Catharinæ Senensis §. 10. addens aliam, non minus absurdam hyperbolem cujusdam alterius improvidi, aut potius insani buccinatoris Laudum S. Francisci, quem asseruisse ait, tantam fuisse similitudinem Corporis Christi, & Corporis S. Francisci, stigmatibus insigniti, ut, nisi lumen gloriæ avertisset errorem, anima S. Francisci cœlum subiens, insinuatura se fuisset in Corpus Christi, rata esse Corpus suum, ob summam utriusque similitudinem.

Auditum admissi risum laxetis, amici. Si tamen hujusmodi stultissimæ nugæ risu, & non potius indignatione, & lachrymis prosequendæ sunt. Deflenda sane res, si sacra similibus offuciis, ac putidissimis figmentis polluatur Cathedra, Fidei nostræ adversariis grassissimum scandalum inde Sumentibus, quæque memorasse refutasse est.

Hisce

Hiſce minime obſtantibus inconcuſſa veritas manet, Franciſcum Seraphicum Sacrorum V. Vulnerum ſignis fuiſſe inſignitum. *Faceſſat* itaque, cum Cornelio à Lapide in fine Commentarii loquor, faceſſat impia Bezæ blasphemia, qui S. Franciſcum hiſce ſtigmatibus notatum, vocat horrendum, ſtigmaticum Idolum, Idque falſum, & confictum. Utut autem Romani Pontifices ſingulare hoc decus in Patriarcha Seraphico genuinum, nullique dubitationi obnoxium, libenter, & cum gaudio agnoſcant, graviſſime tamen ſimul cavent, ne ſimili prærogativa tam facile exornentur Sancti alii; quod abunde liquet ex Bulla Sixti IV. aliisque pluribus Litteris, quibus etiam ſub pœna Excommunicationis prohibuit, ne, præterquam Franciſci, *ullius Sancti*, *aut Sanctæ*, *Beati*, *aut Beatæ* (his enim vocibus utitur) imago cum ſtigmatibus habeatur, absque ſpeciali conſenſu Sedis Apoſtolicæ; &, quotquot ad eam diem imagines ſic depictæ eſſent, intra annum eraderentur, ſub intentato ſimiliter anathemate mandavit. Refert hanc Bullam Henricus Sedulius in Notis ad vitam S. Franciſci; fuerunt enim nonnulli ætate Sixti IV. Pontificis quidam, qui cæleſtem hunc favorem S. Franciſco invidentes, cum multorum offendiculo

Pau-

Paulum Apoſtolum, Doctorem gentium, & Catharinam Senenſem, Ordinis S. Dominici Monialem, ſanctitatis fama celebrem ſtigmatibus fuiſſe ornatos contendebant, & cum horum impreſſione pingi curabant. De Paulo quidem occaſionem ſumpſerunt ex Epiſtola ad Galatas cap. 6. ubi ſcribit, ſe portare JEſu Chriſti ſtigmata in Corpore ſuo. Sed hic error, Molano teſte in Hiſtoria Imaginum lib. 3. cap. 43. facile repreſſus eſt. Circa Catharinam Senenſem autem multi, inquit, pertinaces fuerunt, contra Apoſtolica ſcripta excuſationem aliquam prætexentes; quos autem Sixtus in Bulla prædicta anno 1475. compeſcuit, illud præprimis in illa urgens, nec in Proceſſu, nec in Canonizationis Littera de ſtigmatibus Catharinæ legi; ubi maxime oportebat, Privilegii hujus mentionem fieri. Laudat etiam Sixtus Generalis Capituli Ordinis Prædicatorum Peruſiæ celebrati Decretum, ſub graviſſimis cenſuris, ac pœnis interdicens, *ne de cætero S. Catharina cum ſtigmatibus depingatur, neve de Ejus ſtigmatibus fiat verbum, aut ſermo, vel prædicatio, ad tollendam omnem ſcandali occaſionem.* Hanc ipſam prohibitionem reiteravit Innocentius VIII. anno 1490. per Decretum novum, quo pariter ſub anathemate vetuit, ne deinceps ſtig-

mata B. Catharinæ appingerentur. *Qui tamen nuper e S. Dominici familia*, inquit Cornelius a Lapide loc. cit. *ediderunt vitam S. Catharinæ Senensis, per imagines expressam asserunt postea, Pium V. concessisse, ut & S. Catharina Senensis cum iisdem stigmatibus pingatur.* Nullum animo meo inhæret dubium, hanc concessionem ideo fuisse factam, quod horum stigmatum in Catharina veritas postea clarissimis, & luculentissimis testimoniis in lucem fuerit posita. Faxint boni superi, ut & ab iis, qui æquale decus in corde Augustiniano asserunt, similibus Testimoniis, ac invictissimis argumentis incredulitati & meæ, & aliorum occurrant, lubensque huic amoris igne succenso cordi adscribam, quod B. Catharinæ Senensis imagini affixit Poëta:

Parce, hominum, superumque Pater! tibi turpia miles,
Nobiliora mihi vulnera fecit amor.

§. II.

Quinam Authores hæc ornamenta cordi Augustiniano tribuant?

Cor Augustini sacris Vulnerum JESU Christi signis fuisse decoratum, omnibus retro antiquis incomperta novitas

est.

eſt. Prodeant ergo in medium, qui tanta prærogativa illud excelluiſſe, poſterioribus Seculis ſcriptis mandarunt, allatis tamen ſecum teſtibus idoneis, ſi fidem invenire velint; ſecus non impetrabunt, ut inter vera Auguſtini decora hoc numeretur, eique adſcribatur, qui omnibus encomiis ſuperior eſt. Jam non peto ut Opera S. Doctoris conſulantur, ut ex iis eruatur hoc Arcanum. Hoc ſi peterem, ridiculus forem; primum enim poſt Auguſtini fata Privilegium hoc quinquies vulnerati cordis potuit orbi innoteſcere. Non objiciam Poſſidii altiſſimum hac de re ſilentium; multis enim etiam poſt mortem ſancti hujus Biographi facta fuit ſtupendi hujus miraculi Revelatio. Nec etiam, cum Auguſtini corpus, jejuniis emaciatum traderetur ſepulturæ, cor ex illo fuiſſe exemptum, ab ullo ſcriptore, quemadmodum nec a Poſſidio proditum eſt; quod nec ſtigmatum horum propugnatores aſſerere unquam ſunt auſi. Quare nec provoco ad ſcriptores Seculi quinti, ſexti, ſeptimi, octavi, aut noni. En! quam liberalis ſim in graviſſima hac controverſia. Sufficiet mihi legale teſtimonium, minimeque dubium aut ſuſpectum, ex ſeculo decimo, duobusque ſequentibus, ab eo ſcilicet tempore, quo cor Auguſtini,

opem conferente Angelo, publicæ venerationi fuiſſe expoſitum, Neoterici ſcriptores contendunt. Hoc, ut infra jam audiemus, circa medium Seculi decimi, ſub annum ſcilicet 951. contigiſſe ajunt; quando nempe S. Sigisberto, Lugdunenſium Epiſcopo, cœlitus cor, Cryſtallino incluſum vaſculo, dono obtigit, & publicæ in Eccleſia venerationi expoſitum. Falſitatem rei ita geſtæ in Quæſtione ſubſequente demonſtrabimus; ſi tamen factum hoc ita eſſe in adverſantium favorem tantiſper hic ſupponam, ingens illico animum ſubit ſuſpicio, fabuloſam etiam ex hac narratiuncula ſacrorum ſtigmatum Auguſtiniano cordi impreſſionem eſſe; cum illorum notas nec Epiſcopus Sigisbertus, ſancta curioſitate, & quotidianus ſpectator, detexerit, nec Hiſtoriæ Author illarum vel apice meminerit. Certe nec monumenta Lugdunenſis Eccleſiæ id produnt, nec ullum, qui ſcriptis rerum geſtarum memorias commiſere, ex Lugdunenſium Litteratorum numeroſo Catalogo unquam allegatum vidi. Necdum tamen de majori lumine deſperandum in hiſce tenebris. Lancillotum iterum accedamus; fors illo duce, in idoneorum teſtium copioſum incidemus manipulum.

Narra-

Narrationem hanc inſtituit vitæ Auguſtinianæ Author Lancillotus Capite XLIII. cui ſequentem titulum ponit: *Chriſti Vulnerum ſtigmatis cor D. Auguſtini ſaucium fuiſſe creditur, per mira, quæ de eodem corde ſcriptis prodita ſunt.* Dein ita pergit: *Quamvis tanta fuerit amoris hujus* (quo ſcilicet flagrabat erga Deum Auguſtinus) *intenſio, tantumque ardentes hæ ſagittæ penetraverint animum Ejus* (*nam, quantum præſtat animus corpori, tantum vulnus amoris internum externo corporis vulneri*) *nihilominus aſſerunt nonnulli viri graves* (*forſitan inducti verbis hiſce Auguſtini: ſagittaveras tu, Domine, charitate tua cor meum &c.*) *non tantum ſpirituali vulnere, ſeu translaticio, verum etiam arcanis ſacrorum Vulnerum JEſu Chriſti ſtigmatis ſauciatum Auguſtini cor fuiſſe; nimirum, ut ipſum omnimodis Dei eſſe demonſtraretur. Unde ait Emanuel Correa parte ſecunda Hiſtoriæ S. Joannis Saguntini:*

Gentis Eremicolæ Pater Auguſtinus, amore
Divino accenſus, Chriſtum meditatus ab illo
Fonte capit plagas, ex illo fonte ſagittas.

Siſtamus hic parum; meticuloſior Lancilloti narratio eſt, quam ut cordatos Lectores ad aſſenſum movere poſſit. Si nonnulli graves Authores ſunt, qui cor Auguſtini non tantum ſpirituali vul-

nere, ſed arcanis vulnerum JEſu Chriſti ſtigmatis ſauciatum fuiſſe volunt, quare gravium horum Authorum non adducit verba, quibus tam illuſtre Privilegium poneretur extra controverſiam? Solius Emanuelis Coreæ adductis verſiculis contentus, iis, qui ſolidam Hiſtoriam amant, & bene norunt, quantum Poëtarum tropi, & allegorici ſenſus a legitimo Teſtimonio diſtent, ſatisfactionem præſtabit nullam. *Plagas, ſagittas* in ſenſu figurato, & allegorico profert; quemadmodum hic Chriſti patientis meditationem harum plagarum, & ſagittarum *Fontem* vocat. Viros illos graves forſitan *Inductos* aſſerit hiſce Auguſtini verbis: *Sagittaveras tu Domine, charitate tua cor meum.* Rem magis ſuſpectam reddit per hanc conjecturam ſuam; ſatis enim prodit, a viris hiſce gravibus nihil ſolidi fundamenti exſpectari poſſe. Legamus enim totum Auguſtini locum, qui excerptus eſt ex Confeſſionum Libro 9. cap. 2. quo narrat, quod occaſione feriarum vindemialium Profeſſionem Rhetorices deſerere coram Deo ſtatuerit. *Sagittaveras*, inquit, *tu*, (Deus) *cor noſtrum charitate tua, & geſtabamus verba tua transfixa viſceribus, ex exemplis Servorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras; congeſta in ſinum cogitationis no-*

ſtræ

ſtræ urebant, & abſumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus &c. Quid ex dictione hac, Rhetorum tropologia referta pro opinione ſua exſculpent pro ſtigmatum JEſu Chriſti in corde Auguſtini exiſtentia? *Sagittarum* quidem Auguſtinus meminit, ſed ſagittarum *Charitatis*. *Geſtabamus verba tua transfixa viſceribus*. Qualia ex hac transfixione acceperit vulnera, cur hæreamus? Vulneratum cor Auguſtini, minime negandum at non per ſtigmata, realiter impreſſa, ſed per affectum, & incenſam erga Deum charitatem. Hujusmodi ſagittas, & vulnera etiam in corde Salomonis hi viri graves invenient, qui in regio ſuo Epithalamio cordis ſui flammulas hiſce verbis prodit: *Vulneraſti cor meum, Soror mea, Sponſa, vulneraſti cor meum in uno crine colli tui.*

Ex allegatis itaque Auguſtini vocibus realem vulnerum JEſu Chriſti in amantis corde exiſtentiam tueri ſi quis vellet, eodem jure contendam, illos Dei ſervos, quorum Exemplis ſe a gravi torpore fuiſſe liberatum ſcribit, fuiſſe homines *facie fuſca*, ex Æthiopia, & per ſtupendum miraculum ex *nigris* factos *candidos*, & a *morte* ad *vitam* eſſe revocatos; hoc enim ſcriberem, hiſce verbis inductus: *Exempla Servorum tuorum,*

quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras &c. Quid autem hoc eſſet aliud, quam nodum in ſcirpo quærere, & in re ſeria nugari?

§. III.

An ſuffragetur huic opinioni S. Bonaventuræ authoritas?

Piam traditionem mihi denuo opponent, qui cum Lancilloto ſentiunt, In poſſeſſione ſacrorum ſtigmatum a tempore plusquam immemoriali, plurium ſcilicet Seculorum eſſe dicent Auguſtinianum cor, a Seculo ſcilicet decimo, quo Angelus S. Sigisbertum Auguſtiniani cordis incomparabile cymelio beavit, atque Relationi huic non leviter citatus Theologus innititur. Hujus fabulæ, ut dixi, confutationem infra ſuſcipiam. Progrediamur ulterius; nec enim nudum adeo graviorum, etſi non veterum Authorum Lancilloti eſt latus, ut illi accommodare aurem pœniteat. Fors traditionem hanc, ut oportet, authoritate congrua ſuffulcient. Quoniam autem longinquum, per novem Secula inſtituendum eſt iter; ne fatigentur vel pedes, vel calamus, quietem mihi intercalarem benevoli Lectores non invidebunt.

At

At en! vix oculis in marginem Lancilloti conjectis tria Secula jam pernici cursu superavimus. Nulli testes ex omni populo, & nationibus, vel in decimo, vel duodecimo comparent, horum stigmatum conscii. Fors autem trium horum Seculorum ignorantiam solus Divus Bonaventura suplet sanctitate celeberrimus, & sub Doctoris Seraphici titulo, orbi, non Litterato tantum, sed universo notissimus. Huic quidem præponit Lancillotus S. Vincentium Ferrerium, de quo tamen postea. Novi Seraphici hujus viri stupenda in Ecclesiam, & rem Litterariam merita veneror profundissimam in Eo rerum theologicarum scientiam; non me latet ejusdem veritatis indagandæ indefessum studium, posita ante oculos mihi sunt copiosa & solidissimis doctrinis ab Eo conscripta volumina: sed & ipsius, quo mundus præstantiorem nunquam habuit, nec habiturus est, Bibliotheca nunquam ab animo recedet, quam ipsemet Doctori Angelico demonstravit his vocibus, *Hæc mea Bibliotheca*, intento scilicet in JEsu Christi Imaginem digito. Seculo decimo tertio, anno scilicet 1221. intravit in mundum, Doctoris Angelici in promotione Doctorali fuit competitor, Ordinis Minorum Illustrissimum Sydus, ac Generalis; an-

no 1226. Albanenſis creatus Epiſcopus, ac tandem Eccleſiæ Romano-Catholicæ Cardinalitia ornatur purpura; de quo Alexander ab Ales Scholaſticorum anteſignanus (ſi tamen verum eſt, quod ex Trithemio, & Willoto affert in Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum tomo I. p. 141. Olearius) Ejusdem Præceptor dixit: videri ſibi Adamum in fratre Bonaventura non peccaſſe. Hujus certe viri Authoritas, etſi a Seculo decimo, per integra duo Secula, & dimidium remoti, maximi poſſet eſſe ponderis pro aſſerenda ſacrorum quinque Vulnerum in corde Auguſtiniano exiſtentia.

Producantur ergo a Lancilloto Seraphici Doctoris verba; minime enim præſumendum eſt Divi Bonventuræ Operum omnium Eidem non fuiſſe copiam: cum Hiſtoriam vitæ Auguſtini Profeſſor Theologiæ emeritus, aut omnino jam Provincialis, in Belgio, decumano labore conſcriberet. Decipimur tamen; ſolius Bonaventuræ nominis meminit: Legalis citatio e calamo non fluxit; verſari Lectores patitur in ſcriptorum Bonaventuræ Oceano, nec Pharum ædificat, nec Lucernam accendit, cujus lumine ad optatæ veritatis fortunatas Inſulas fluctuans dirigatur

gatur navicula. Abſit autem, ut malæ fidei reum Lancillotum arguam; pia duntaxat credulitate inductus, præ oculis habuit Joannem Gonzales de Critana, qui in Epitome Hiſtorica vitæ S. Auguſtini cap. 8. §. 1. S. Vincentium Ferrerium, S. Bonaventuram, F. Joannem de Angelis, in Triumphis amoris Dei parte 1. cap. 11. pariter allegat, Lectoresque ſuos ad quæſtionem criticam accendit, cur accuratiore ſtudio Joannem de Angelis citaverit, quam D. Bonaventuram, & S. Vincentium Ferrerium; quorum tamen Authoritas majoris fuiſſet ponderis.

Non tantùm in me laboris ſuſcipiam, ut Operum D. Bonaventuræ omnia Legendo percurram folia, merito timens, ne jejunus abire cogar. In S. Vincentio Ferrerio ſpei melioris anchoram fixi. Inter Sermones de Sanctis evolvi, quem de S. Auguſtino, Ejusque laudibus declamavit; ratus, in hoc purgite piſcem deſideratum inveniri poſſe: Nullus tamen hamum momordit; adivi copioſum òmnium Operum Indicem: omnem tamen meam induſtriam ille eluſit. Solum itaque Mauburni noſtri Roſetum mihi reſtabat, in margine Lancilloti accuratiore calamo notatum; quod tamen, ut verum fatear, toties jam

deluſus

delusus timidis adibam pedibus: Ne in novum suspectæ veritatis spinetum inciderem.

Faverunt tamen superi. In Mauburno invenisse me Doctoris Seraphici verba existimo Tit. 20. Alphab. 48. dum hæc verba lego: *Charitas adeo cor* (Augustini) *vulneraverat, quod stigmata Christi, sicut Paulus (ut Bonaventura ait) portavit.*

Jam me nec Lancillotus, nec Gonzales de Critana, nec Joannes de Angelis, nec Eorum scriptores subsequi adversarium habent, DivumBonaventuram scilicet asseruisse, Augustinum SS. Legislatorem nostrum stigmata Christi, sicut Paulum, portasse. Nulla autem ex hisce verbis, sive pro corde, nobilissima Augustiniani corporis parte, nulla pro toto Augustino fluit consecutio pro reali existentia sacrorum quinque JEsu Christi stigmatum quod paragrapho mox sequenti evictum dabimus.

§. IV.

Explicatur S. Bonaventura.

Nullum Sanctum, aut Sanctam, nullum Beatum, aut Beatam licitum esse sacris JEsu Christi stigmatis insignitum, ne quidem ipso Gentium Apostolo excepto, pingere,

primo

primo Quæſtionis hujus Paragrapho oſtenſum eſt, adductis Pontificum Bullis, præterquam Franciſcum Seraphicum, & Catharinam Senenſem. Erunt tamen fortaſſis fortia quædam ingenia, aut adeo pertinacis capitis devotuli, quos prohibitiones hujusmodi, etiam ſub pœna Excommunicationis intentatæ, parum moveant. Per me abundent in ſuo ſenſu; ſolus me jam labor occupat, quodnam ex verbis D. Bonaventuræ Lancillotus, Ejusque ſequaces, pro ſtigmatismo Auguſtiniano emolumentum ferant. Inſpiciamus verba Pauli.

Gentium Doctor, ac mundi Apoſtolus, in Epiſtola ad Galatas ſexto capite, nullam ſibi gloriandi eſſe materiam profitetur, quam in Chriſto. Subtexit illico: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit; ego enim* Stigmata *Domini JEſu in corpore meo porto.* Fuerunt, minime inficias eo, qui S. Paulo tribuerent ob hæc verba quinque JEſu Chriſti Vulnerum notas; verum absque fundamento: Verba enim prolata tam parum hæc in Paulo ſtigmata nos cogunt agnoſcere, quam parum dicere nos oportet, Paulum vere crucifixum fuiſſe; cum ipſe quoque in hac Epiſtola ſe profiteatur cum *Chriſto eſſe crucifixum.* Hæc D. Antonini Parte 3. Hiſt. tit. 24. c. 1. §. 3.

§. 3. animadversio est. Nonnihil pensiculatius expendamus Pauli verba. Obstrepebant palam Paulo Judæi, ac Judaizantes, ac quærebant, Moysisne an Christi partiarius, ac servus esset? Ut molestiam hanc a se averteret, nemo mihi porro molestus sit, reponebat, ac tale quidquam a me requirat; Plagæ enim, quarum notæ corpori meo impressæ videntur, satis, superque testatum faciunt, cui adhæream, Christo nimirum, in cujus gratiam inustus sum tot vibicibus relictis ex trina virgarum perpessione, & quinquies repetita undequadraginta plagarum impactione. Quis enim dubitet, vibices, & cicatrices corpori Apostoli ex tot, & tam acerbis flagellationibus, atque ex trina lapidatione inhæsisse? Ostentabat ergo Apostolus suas illas pro Christo Notas, in signum addictæ Christo servitutis; quia, ut bene perpendit Cajetanus ad Galatas 6. vibices bene respondent stigmatibus in Servorum corpore, & ferro inusto impressis: Atque adeo bene exhibent professam servitutem; &, qui tales Notas pro Christo accepit, non minus illis gloriari potest, quam soleant probati milites gloriari apud Reges, & Principes hujus Seculi, ostentatis vestigiis vulnerum, in eorum gratiam exceptorum, etiamsi non hiantium, &

obdu-

obductorum. Atque in hac expoſitione ſtigmatum Pauli hæredum eſſe Theophylus Raynaudus cenſet de ſtigmatismo ſacro, & prophano; monet tamen, ut adæquatus habeatur plagarum ſenſus vibicibus, & cicatricibus, reſiduis flagellorum impactione, ac inſuper & preſſuras omnis generis, quarum Paulus meminit 2. Corinth. 11. eſſe adjungendas.

Moraliter, inquit Cornelius a Lapide ex Hieronymo, ſtigmata Chriſti in corpore ſuo portant, qui corpus macerant, & affligunt amore Chriſti, utque ſe Chriſti cruci, & Paſſioni conforment; rurſum ii, qui a Deo morbis, & ærumnis affliguntur, easque, patientia JEſu Chriſti animati, patienter ſufferunt.

Demus itaque, D. Bonaventuræ verba revera eſſe, quæ Mauburnus ſupra retulit, Auguſtinum nempe, *ſicut Paulum, ſtigmata JEſu Chriſti portaſſe*, ex iis tamen aſſertum ſuum minime probavit, illa realiter in exempto Ejusdem corde apparuiſſe. Nolim quidem dicere, Auguſtinum, juxta primæ expoſitionis ſenſum, amore JEſu Chriſti, vibices, ac cicatrices in corpore ſuo portaſſe; nullo enim idoneo Authore

id

id referente, hoc conſtat; tamen, S. Doctorem innumeras fere perſecutiones, ac ærumnas, periculoſiſſimas vitæ inſidias, atrociſſimas calumnias ab hæreticis patientiſſimo animo, ut Chriſto ſe ſe conformaret, ſuſtinuiſſe, quisquis vitæ Ejus ſeriem, a Poſſidio conſcriptam, leget, minime negabit. *Habebant Donatiſtæ*, inquit, *per ſuas pene omnes Eccleſias inauditum hominum genus, perverſum, ac violentum, velut ſub Profeſſione continentium ambulantes; qui Circumcelliones dicebantur; & erant ingenti numero, & turbis per omnes pene Africanas Regiones conſtituti; qui malis imbuti Doctoribus, audacia ſuperba, & temeritate illicita, nec ſuis, nec alienis aliquando parcebant, contra jus, fasque in cauſis interdicentes hominibus, & niſi obediſſent damnis graviſſimis, ac cædibus afficiebantur, armati diverſis telis, bacchantes per agros, villasque, usque ad ſanguinis effuſionem accedere non metuentes. . . Multos Dei ſervos cædibus debilitaverunt, aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miſerunt, aliosque occiderunt.* Et cap. 12. pergit: *Aliquoties vero etiam vias armati iidem Circumcelliones, contra famulum Dei Auguſtinum obſederunt, dum forte iret rogatus ad viſitandas, inſtruendas, & exhortandas Catholicas plebes, quod Ipſe frequentiſſime faciebat. Et aliquando contigit, ut Illi ſuccenturiati hactenus;*

nus, perderent captionem; evenit enim Dei quidem providentia, ſed ductoris hominis errore, ut per aliam viam cum ſuis comitibus Sacerdos, quo tendebat, veniſſet per hunc, quem poſtea agnovit, errorem, manus impias evaſiſſet. Donatiſtæ cauſæ ſuæ diffidentes, uti pariter teſtatur Poſſidius cap. 9. contra Auguſtinum *irati, furioſa loquebantur, atque ſeductorem, & deceptorem eſſe, privatim, & publice conclamabant, &, ut lupum, occidendum eſſe, in defenſionem gregis ſui, dicebant, & tractabant omniaque peccata a Deo indubitanter eſſe credendum poſſe dimitti iis, qui hoc facere, ac perficere potuiſſent, nec Deum timentes, nec homines erubeſcentes.* Hæc cum omnia Paulum imitatus, ut Chriſti patientis, & pro nobis vulnerati ſequeretur veſtigia, animo patientiſſimo Auguſtinus ferret, atque inter perpetuas corporis macerationes graviſſimas, anguſtias, & moleſtiſſimos morbos animarum ſaluti incumberet, nemini reliquit dubium, an verus Chriſti partiarius, & ſervus eſſet, ſed merito cum Paulo gloriari poterat: *Ego autem ſtigmata Domini noſtri JEſu Chriſti in corpore meo porto.* Faceſſat proin ſtigmatici cordis fabula; ex his enim, ſive Mauburni, ſive Bonaventuræ verbis plus non evincet apud prudentium agmen Lancillotus &c. Monendi propterea

 picto-

pictores ſunt, ne cordi Auguſtini has affingant Notas; ne culpa quoque ſua, contra Pontificum Decreta, hunc errorem damnabili induſtria dilatare præſumant. Abſit tamen, ut illam picturam culpem, qua Auguſtinum cor ſagitta transfixum geſtantem, frequentiſſime expreſſum cernimus, nec Illam Molanus in Hiſt. Imag. lib. 3. c. 35. improbare eſt auſus; ſana enim hujus Exhibitionis interpretatio, fundamentumque minime fallax eſt. *Quærunt nonnulli*, inquit citatus Molanus, *cur pingatur cor ſuum manu geſtans? dicam quod obſervavi: Cum alios exhortatus ſit ad cor Deo offerendum, non dubium eſt, quin optimus Eccleſiaſtes verbo, & opere docere volens, cor ſuum Deo obtulerit. Audi*, inquit, *quid tibi dicat ex ore ſapientiæ charitas: da mihi, Fili, cor tuum.* Prov. 23. *Quid? Fili, cor tuum. Male erat, quando a te erat; per nugas enim, & amores laſcivos, pernicioſosque trahebaris. Da mihi*, inquit, *cor tuum! ſit mihi, & non perit tibi.* Citatur in margine Sermo 2. de diverſis. Recentiores autem, pergit præfatus Author, non ſolum cum corde pingunt, ſed cum corde, jaculis transfixo; cui picturæ occaſionem videtur dediſſe, quod idem S. Doctor ait l. 9. c. 2. *Sagittaveras tu cor noſtrum charitate tua, & geſtamus verba tua transfixa viſceribus.*

§. V.

§. V.

Sermo S. Bonaventuræ de hac re genuinusne ſit an ſpurius?

Facilis ad Quæſtionem hanc reſponſio eſt. Aliam fabulæ hujus originem, fontem alium indagare non eſt opus, quam Sermonem quemdam cujusdam Pſeudo-Bonaventuræ; Pſeudo-Bonaventuræ inquam: reperitur enim inter Sermones, S. Bonaventuræ adſcriptos, quem tamen nemo prudens Seraphico Doctori auſit adſcribere; non enim tanti Doctoris ingenio digna refert, ineptiſſimisque fabulis ſcatet. Editionem horum Sermon. poſſideo, quæ Reutlingæ 1484. excuſa eſt, & hunc titulum præfert: Sermones de tempore ſimul, & de Sanctis, ac de communi Sanctorum, ventura Bona docentis S. Bonaventuræ, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Reverendiſſimi, a SS. noſtro Sixto, hujus nominis quarto Canoniſati in præſentia Domini Gratioſi, Comitis Eherhardi Wirtenberg, Sabbato in Albis, anni 1482. Ad finem reperitur annus: in Reutlingen, autumni tempore complevimus; unde & gratias referimus debitas Domino, humilium exaltatori, anno Domini MCCCCLXXXIIII. Cujus authoritate, aut quo Collectore Ser-

monum iſtorum indigeſta moles facta ſit, nullibi proditur. Nemo Eruditorum mirabitur, in hanc Collectionem plures Sermones irrepſiſſe, falſo D. Bonaventuræ attributos, qui Diſſertationem Caſimiri Oudini, Viri damnati quidem nominis, Ejusque caput nonum legerit, ubi teſtatur, Sermones, tam de tempore quam de Sanctis, qui habentur Tomo III. Operum Bonaventuræ, Editionis Vaticanæ integre diſcrepare, præſertim, qui de Sanctis ſunt, ab iis, quos Frater Stephanus Attrebatenſis ex vetuſtis Bibliothecis collegit, & Antonio Sirletto, docto Minoritæ, tradidit, quos procuravit imprimi Pariſiis in octavo typis Jodoci Badii Aſcenſii anno 1521. Sed propius accedamus ad ſcopum, mihi propoſitum.

In Reutlingana hac, quam ſupra recenſui, Collectione, inter Sermones de Sanctis, tres occurrunt de S. Auguſtino. Hos inter primus Ordine XXXIV. de impreſſis cordi Auguſtiniano ſacris ſtigmatum Notis, habet ſequentia: *Secundo honoravit Eum* (Deus Auguſtinum) *in ſacrorum Vulnerum impreſſione. Heſter VII. homo, quem Rex voluerit honorare, debet indui veſtimentis Regis. Certe homo, quem Rex Regum, Dominus Dominantium, voluit honorari, fuit B. Auguſtinus; &*

propter

propter hoc Eum veſtimentis Regis induebat, quando ſuorum ſacrorum Vulnerum ſtigmata ſua in B. Auguſtino (ſupple: impreſſit) *quod dicitur* Cant. VII. *Comæ capitis tui, ſicut purpura Regis, cincta canalibus. O B. Auguſtine! comæ capitis tui, id eſt, affectiones mentis tuæ. Dicit Gregorius in Moralibus, quid per caput, niſi ea, quæ principalis uniuscujusque actionis eſt mentis Opere ſignificatur. Comæ capitis ſunt affectiones ſuæ mentis; comæ enim exeunt de capite, & affectiones, ſive cogitationes, exeunt de corde.* Matth. XV. *De corde exeunt cogitationes. Iſtæ cogitationes, & affectiones B. Auguſtini fuerunt ſicut purpura Regis, hoc eſt caro purpurata colore ſui ſanguinis, quo fuit aſperſa, quando in ligno Crucis fuit affixa. Dicuntur autem Affectiones B. Auguſtini ſimiles carni Chriſti, non formaliter, ſed affective; ita enim affectiones ſuas dirigebat frequenter, divino perfuſus amore, in Deum, & Divinam Paſſionem, quod ſacrorum ſtigmatum Chriſti in corde ſuo meruit impreſſionem. Unde ipſe dicit in Libro Confeſſionum: ſagittaveras tu cor meum charitate tua. Ingeſtabam verba tua in viſceribus meis. Vulneraverat quoque Chriſtus cor meum. Et iterum: nec ſatiabatur illis diebus dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem Conſilii divini ſuper ſalutem generis humani. Ex quo patet, quod Pater B.*

Auguſtinus meruit impreſſionem Vulnerum Chriſti in corde ſuo ſpiritualiter. Per conſequens in omnibus membris, quorum cor eſt fons, quod influit membris, omnem virtutem operativam, ita, quod nihil eſt in membris, quod non hauſerunt a corde; ſi ergo ſtigmata fuerunt in corde, per conſequens fuerunt in omnibus membris: Quod probat Philoſophus, dicens: Omnis virtus unita fortior eſt ipſa diviſa; ſed omnes virtutes uniuntur in corde: Ergo, quod eſt circa cor, fortius eſt, quod eſt circa membra; multo ergo fortius, & efficacius B. Auguſtinus Vulnera Chriſti habuit in corde ſpiritualiter, quam alii Sancti, quos legimus habuiſſe in membris viſibiliter.

En! hic Seraphici Doctoris, ſi ſuperis placet, Diſcurſum. Audacter dico, non Eminentiſſimi Bonaventuræ hic ſermo doctrinam eminentiſſimam ſapit, ſed cujusdam Pſeudo-Bonaventuræ, & pii impoſtoris. Atque ex hoc Sermone Apocrypho originem fabulam hanc, & quidem male intellecto, ſumpſiſſe credo. Dico: Ex Sermone hoc, male intellecto; non enim Ejusdem Author, quicunque demum Ille ſit, phyſicam ſacrorum Vulnerum, in corde Auguſtini, quod Lancillotus voluit, ſed *ſpiritualem* tantum, & per affectum ardentiſſimum jugiter in corde Illorum memoriam

moriam conſervatam, ut palam eſt legentibus, defendit. Quare, ſi etiam adverſæ ſententiæ defenſoribus ultro concederem, Sermonem hunc genuinum eſſe partum D. Bonaventuræ, nec unica probabilitatis uncia cauſæ ſuæ accederet.

Verum hic neceſſe erit, cauſas prodere, cur prudentiſſimo huic Cardinali hunc Sermonem perperam ſuppoſitum fuiſſe exiſtimem. Mox ſub initium illius ait: *B. Auguſtinus, cum Religione, & Regula, quam Fratribus ſervandam ſcripſit, matrimonium contraxit.* Atque paulo poſt ex hoc matrimonio Filiorum generationes quatuor ortas ait: Primo Ordinem ſuorum Fratrum, ſecundo Ordinem pauperum, tertio pœnitentium, quarto Ordinem Illorum, qui exemplo, vel verbo Dictorum trium Ordinum perveniant, & pervenerunt ad Regnum Cœlorum. Placetne Lancilloto matrimonii hujus fœcunditas? An hujusmodi Allegoria ſummam Sancti hujus Cardinalis prudentiam decet? Promoveamus pedem ulterius. Poſt allegata ſuperius de ſpirituali ſtigmatum impreſſione, narrationem inſtituit: *Exemplum legitur, quod quædam mulier ad B. Auguſtinum acceſſit; quem ſtudentem inveniens ſalutavit: Ipſe vero ad eam non intendit. Cogitans illa,*

illa, quod in faciem mulieris ob sanctitatem nollet intendere, propius accedit: Negotium exponit illa; quia se non aspexit, multa cum tristitia recessit. Altera autem die. cum Augustinus Missam diceret, & mulier ibi esset, post Elevationem Corporis Christi mulier rapta, vidit se stantem ante tribunal Trinitatis, & vidit B. Augustinum facie inclinata, de Trinitatis gloria attentissime disputantem. Et vox ei dixit: cum Augustinum pridie quæreres, de Trinitate sic disputavit; & ideo, quod ibi fueris, penitus non advertit. An hujusmodi nugas credamus, processisse ex ore S. Doctoris? Perspectissimam Ille habuit Historiam vitæ, a S. Possidio scriptam; ut patet ex duobus Sermonibus sequentibus, in quibus ipsemet ex Possidonio narrat, Augustinum a mulierum consortio ita abhorruisse, quod nullam fœminam, nec sororem, nec fratris filias secum habitare permiserit, nec cum muliere solum voluisse loqui. A moribus proin Augustini rem alienam narrasset, soli fœminæ ad solum Augustinum huic mulieri patuisse aditum. Sed necdum nugarum satis est. Hic, inquit Sermonis, in quo versamur, ineptus Author, *hic* (Augustinus) *dum adhuc viveret, vidit Diabolum, portantem Librum, in quo peccata hominum descripsit.* Hanc absurdissimam fabulam, ex Jacobo de Vora-

Voragine desumptam, Joannes Stiltingus in prævio ad vitam S. Augustini Commentario §. LIV. num. 713. hisce verbis explodit: *Non meretur seriam refutationem tam inepta historiuncula; quæ fingi non potuit, nisi ab homine, plane indocto.* Nec, ut opinor, Stiltingi censuram prudens Lector suam non faciet, si totam fabulosæ hujus narrationis seriem apud Jacobum de Voragine legerit. Audiamus enim ridiculas illius nugas. *Legitur*, inquit citatus Author c. 119. *quod dum Augustinus in carne viveret, & quædam relegeret, ante se transire vidit Dæmonem, librum humeris bajulantem: Qui ab ipso protinus adjuratur, ut quæ ibi scripta lateant, pandat. Qui peccata hominum ibidem esse asserit scripta, quæ undecunque colligit & reponit. Moxque ei præcepit, ut si aliquid peccatorum suorum ibi scriptum retineretur, sibi legendum continuo manifestet. Ostenso autem loco, nihil ibi Augustinus reperit, nisi quod quadam vice Completorium ex oblivione dimisit. Præcipiensque Diabolo, ut suum præstolaretur adventum, Ecclesiam fuit ingressus, & Completorium devote dixit, & solitas Orationes complete peregit. Reversusque dixit ei, ut prædictum locum sibi ostenderet iterum legendum, qui dum crebro revolveret, & tandem locum vacuum reperisset, iratus dixit: Turpiter me decepisti: pœnitet me,*

quod Librum meum tibi ostendi, qui peccatum tuum Orationum tuarum virtute delesti. Et his dictis, confusus evanuit. Cui non risum moveat simplex hic Diabolus, & haud dubie Plutonis Secretarius. Væ illi, si cum Manuscripto hoc adeo castrato ad stygem redierit! Sed, ut præsumendum, mille fraudum artifex facile novis mendaciis culpam suam, plusquam Juridicam favente Proserpina purgaverit.

Dein quid hæc verba: *Fortius vulnera Christi* (Augustinus) *habuit in corde spiritualiter, quam alii Sancti, quos legimus habuisse in membris visibiliter?* Hæ solæ voces supposititium Sermonem esse, manifeste produnt; certe enim scivit S. Bonaventura, quinque Vulnerum JEsu Christi in corpore visibilium decus singulare esse, nullique alteri, quam Seraphico suo P. S. Francisco, usque ad suum ævum, fuisse concessum. Taceo, quod hoc in Sermone S. Augustinum *Patrem nostrum Augustinum* appellet, qui loquendi modus in duobus sequentibus Sermonibus non occurrit; in eam proin propendeo opinionem, Sermonem hunc fuisse a quodam Zelatore, sub Regula S. Augustini militante, conscriptum ætate Sixti IV. Sæculo nempe decimo quinto; quo maximo animorum studio a Zelosis quibusdam proprii Ordinis

dinis amatoribus agitabatur controversia, privilegium hocce, gestationem scilicet visibilium quinque JEsu Christi Vulnerum aliis quoque Sanctis esse communem. At satis, superque de hac controversia.

QUÆSTIO VI.

De S. Augustini cordis incorruptione.

§. I.

De ejusdem inventione miraculosa.

Videtur hoc asserere Theophilus Raynaudus, alias nec sibi, nec aliis de nimia credulitate suspectus. Cor S. Augustini, ait in tractatu *de Incorruptione Cadaverum* Cap. X. num. 11. perstare incorruptum, & crystallo inclusum, quoties coram eo S. Trinitas nominaretur, aut solemne Trisagium sanctus, sanctus, sanctus decantaretur, vel Liber ipsius S. Augustini de Trinitate expanderetur, solitum, quasi vitaliter exultare scribunt Jordanus de Saxonia Serm. 49. de Sanctis, Hieronymus Romanus 1. p. Chron. Augult. Cap. 35. Ludovicus ab Angelis lib. 6. de vita S. Aug. cap. 7. Cornelius Lancillotus lib. 3. de vita S. August. cap. 43. Emanuel de la Cerda

Cerda quæſt. 4. poſitiva; fuſe veſtigat cauſam illius motionis. . . Addit inſuper Hieronymus Romanus. p. 1. Chronici Auguſtinenſis c. 35. quod homo Hæreticus, ſi Eccleſiam, in qua eſt S. Auguſt. cor, ingredi tentaverit, aut in veſtibulo cadat, aut intus decumbat; quam ferunt eſſe originem pingendi cor S. Auguſtini cryſtallo incluſum, jacentibus, ac proſtratis hinc inde Fidei hoſtibus. Idem narrat apud Bagattam *de admirandis circa Eccleſias* Ferrandus Hiſpanus hiſce verbis: *Notandum eſt ex hiſtoriis Illuſtrioribus, ac veris, nunquam in Eccleſiam, ubi cor S. Auguſtini erat ingreſſum fuiſſe hominem Hæreticum; vel enim intus moriebatur, vel in limine cadebat.* In Jordane de Saxonia ergo, meriſque ſcriptoribus medii ævi, fundatur Auguſtiniani cordis incorruptio. Verum tota hæc ſcriptorum phalanx tanto minorem fidem meretur, quo fragilior eſt baſis, cui innititur Eorumdem narratio. Mox a me laudatus ſcriptor in ſuo innumerarum fabularum gazophilacio, tomo 2. de Admirandis poſt mortem hominis lib. 6. cap. 2. §. 5. num. 1. ex Auguſtini Wichmanni Diario Eccleſiaſtico, hanc reperti cordis Auguſtiniani occaſionem fuiſſe narrat. Cum circa annum 951. Sigiberto Epiſcopo Lugdunenſi divinitus ab Angelo delatum fuiſſet in Cryſtallino vaſcu-

vaſculo cor S. Auguſtini, Epiſcopus per totam Diœceſin congregato Populo Hymnum: *Te Deum*, cantari juſſit; cumque perventum eſſet ad verſiculum *Sanctus, ſanctus, ſanctus*, viſum eſt cor novo miraculo commoveri, palpitare, & exſultare, acſi recens fuiſſet ſauciatum illa ter admirabili ſagitta SS. Trinitatis. Similes motus habuiſſe fertur in anniverſaria die, cum eo in altari depoſito ſacrum fieret, quoties SS. Trinitas a Sacerdote exprimeretur, vel Liber Ejus de SS. Trinitate conſcriptus, coram eo expanderetur. Hucusque Bagatta, aut potius Auguſtinus Wichmannus. Cornelius Lancillotus longe exactiorem curioſis Lectoribus, notitiam offert loco ſupra citato. Teſtantur, inquit, veteres nonnulli, cor ipſum non eſſe conjunctum reliquo corpori; ſed, cum moreretur, vel ab Angelo, vel a quibusdam ipſius Auguſtini piis cûltoribus, quemadmodum fieri nonnunquam ſolet, viſceribus cæteris excerptum fuiſſe, interque varias procellas temporum delituiſſe, quousque ſub Annum CMLI. Sigisbertus Epiſcopus Lugdunenſis S. Auguſtini præcipue ſtudioſus, divinitus ipſum accepit. Solebat is ardentibus votis a Deo expetere, ut pro amore, quo in ipſum P. Auguſtinum ferebatur, aliqua duntaxat ſacrarum Reliquiarum parti-

particula ſe donaret, priusquam ex hac vita decederet. Quas preces cum ex more, ſub horam primam in Oratorio ſuo frequentaret, ſubito ipſum obdormiſſe, & Angelum non ita poſt veniſſe ferunt, cum vaſcülo Cryſtallino, & inimitabilis artificii, quod aurei circuli ambiebant, & cujus pedunculus erat ex auro obrizo, ipſaque pixis monilibus intertexta lucebat. Quam cum idem Angelus ſumma reverentia in Sacelli ejusdem altari reclinaſſet, ad Epiſcopum converſus: Ecquid dormis, Sigisberte? expergiſcere. Quo rogante, quisnam ad ſe loqueretur, reſpondit ille: Sum Angelus, quondam Auguſtini tutelæ traditus, qui etiam cordis Ejus ſingularem habeo rationem. Abrumpo reliquam narrationem; ne cum Sigisberto obdormiam; ſive enim Illius initium, medium, aut finem conſiderare quis velit, ineluctabiles difficultates inveniet. Si Auguſtini cor ab Angelo, ex demortui corpore exemptum, qua authoritate hoc fuiſſe factum probat Lancillotus? Teſtantur id veteres non nulli, inquit; ſed quinam? in margine antiquos Germanico-Manuſcriptos Codices citat. Ex quanam Bibliotheca hos eruit, hos accepit? altum ſilet. At ſub disjunctione loquitur Lancillotus: vel ab Angelo, vel a quibusdam,

ait,

ait, ipsius Augustini piis cultoribus, visceribus cor cæteris exemptum fuisse. De hac Anatomia S. Possidius nec syllabam habet. *Obdormivit in pace*, *narrat* vir Sanctus *cum Patribus suis*, *enutritus in bona senectute*, *& nobis coram positis pro Ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est*, *& sepultus est.* An passi fuissent circumstantes Augustini amantissimi Filii ac Clerici, per pios cultores cor de corpore eximi? Certe etiam hic, ut alibi sæpius, omni scripto Testimonio vocalius est Possidii silentium. Si attendere velimus ad Principia Artis Criticæ, hoc factum omnino credibile non est; caret enim teste idoneo: Testis autem de facto, quod præcessit multis Sæculis, sine allegatione testis Synchroni, non est testis idoneus. Non potuere autem, qui similia de corde Augustini scripsere, vel unius testis Synchroni proferre Testimonium. Et quem in locum translatum est ardentissimorum in Deum, & Deiparam affectuum officina, cor magni Augustini? An hunc Thesaurum eripi sibi passa fuisset Hipponensis Ecclesia? Hipponensis populus? *Inter varias procellas temporum delituit*, assertum est Lancilloti, *usque sub Annum CMLI.* Expedita evadendi e labyrintho tot Quæstionum via. Numquid eadem custodia serva-

ſervari potuiſſet exemptum cor cum reliquis magni hujus Eccleſiæ Doctoris S. Exuviis? Certe magna fuiſſet Hipponenſium Clericorum oſcitantia, ſi poſteris ſuis nullam ſcriptam notitiam reliquiſſent, in quonam loco, inter periculoſiſſimas temporum procellas, præclariſſimi, & ſanctiſſimi Antiſtitis ſui partem præcipuam recondiderint. Quis tandem illud piis cultoribus Sæculo decimo eripuit? Apage has vexas! quis eripuit, niſi Tutelaris S. Auguſtini Angelus, qui cordis Ejus ſingularem rationem habuit. Fors ſi Lancillotus adhuc mortali veſceretur aura, plura me quærentem, ad ſolvendas hujusmodi quæſtiones, ad novem Angelorum Choros remitteret. De fide tamen humana, & mere hiſtorica agitur; maneamus igitur in terra.

§. II.

De Apparitione Angeli, Sigisberto Epiſcopo facta.

Hic Rhodus, hic Saltus. Si Hiſtoriæ veritas, ſi teſtes Synchroni, in hoc puncto medii ævi ſcriptores nos deſerant, actum erit de reliquis, ac Claſſico indicendum erit ſilentium.

Ange-

Angelus itaque, Auguſtiniani cordis cuſtos dormienti Sigisberto apparuit, Eidemque pio furto Cor Auguſtini, ex loco, neſcio, quo, ubi per plura Sæcula delituit, ſublatum, a Deo juſſus, in piorum hominum conſolationem, dono obtulit, & mox diſparuit. Quisnam narrationis hujus author? Haud dubiè ſolus Sigisbertus, cui dormienti hæc viſio oblata eſt. An non hic Lancilloto opponi poſſent Auguſtini verba, ex tractatu ſuper Pſalmos, in Pſalmum 63. *Dormientem teſtem adhibes; vere tu ipſe obdormiſti, qui ſcrutando talia defeciſti.* Quis hoc a Sigisberto, Lugdunenſi Epiſcopo, narrari audivit? quis? invidioſa, & critica quæſtio! An non ſufficiat, quod Sigisbertus evigilans (Lancillotus iterum loquitur) pro tanta in ſe beneficentia, penitus amore incenſus, reſpexerit in altari ejusdem Sacelli, prædictam urnulam pretioſiſſimam, in qua cor erat, tam vegetum tamque recens, acſi tum primum fuiſſet de corpore Ejusdem acceptum? Quo tam præcellenti munere affectus, ingentes Deo gratias egerit, ac populares ſuos id ipſum latere noluerit, ac juſſerit per totam Diœceſin hanc Viſionem, & hoc factum promulgari? Cujus rei fama commotus populus ex urbibus, & pagis adjacentibus, viſendi ſtudio, ad Epi-

ſcopum undique confluxiſſe dicitur. . . . Ecce narrationem iterum facti publici, de quo S. P. Q. L. authoritate Epiſcopi ſui pleniſſime fuit informatus, cujus notitia per totam Diœceſin Lugdunenſem fuit ſparſa, commotus populus, qui ex urbibus, & pagis viſendi ſtudio undique confluxiſſe dicitur. Quis dubitet de rei veritate? Audiamus Amortum in Principiis Artis Criticæ, Deduct. Crit. de Authore lib. 4. de Imit. Chriſti Part. 2. §. 10. ubi ait: *Defectus teſtium de Actis publicis ſolennibus*, *omnium attentione dignis*, *agit teſtem idoneum de non exiſtentia objecti.* Factum hic narrat Lancillotus publicum, ſolenne, omni attentione dignum, in Diœceſi Lugdunenſi, coram populo numeroſiſſimo actum. Sed quod omnem credibilitatem eidem eripit, adeſt ſimul *defectus teſtium*; nullum enim Idoneum citare novit; hic ipſe proin defectus teſtium agit teſtem Idoneum de non exiſtentia objecti, ſive de nullitate prætenſæ Apparitionis Angelicæ. Admittendum inſuper hic eſt, in claſſem Idoneorum teſtium argumentum negativum ex univerſali ſilentio continuatum per duo, vel tria Sæcula, circa factum hoc publicum, & omni attentione dignum; de quo nec apicem habent Senatus, Populique Lugdunenſis Archivia; de quo nihil

agitur

agitur in Ecclesiæ Lugdunensis Tabulariis, de quo altum est Silentium in totius Diœceseos scripturis, ac monumentis, de quo nulla Synchronorum scriptorum extat memoria, cujus etiam nec Syllaba meminisse ausi sunt Eruditi tot viri, qui in historia Lugdunensis Ecclesiæ optime sunt versati. Nulla prætererea adsunt argumenta adminiculantia; quæ Visionem hanc vel tenuiter probabilem reddere possent; spectemus enim nunc ipsam personam, cui facta fuisse dicitur Angelica hæc visio, & donatio Augustiniani cordis.

Sigisbertum nominat Lancillotus Episcopum Lugdunensem. Ludovicus ab Angelis lib. 6. vitæ S. August. cap. 5. ex vetustis codicibus Germaniæ Sigisbertum Illum ait fuisse Lurudunensem Episcopum. At, cum omnis Geographia Lurudunensem Episcopatum ignoret, loquamur cum Lancilloto de Sigisberto Episcopo Lugdunensi. Quid de hoc sentit Criticorum lima, Theophylus Raynaudus? Rerum Lugdunensium peritissimus? *Ecclesia Lugdunensis*, inquit, *nec ullum Sigisbertum agnoscit Episcopum, nec fuisse apud se aliquando cor S. Augustini recolit, ullisve scriptis testatum habet.* De stigmatismo sacro & profano c. 12. pag. 131. Quod-

nam eſt Doctiſſimorum Monachorum Congreg. S. Mauri Ord. S. Benedicti Judicium? Qui Eccleſiæ Lugdunenſis Hiſtoriam, & Epiſcoporum ſeriem cum omni acribia examinarunt in *Gallia Chriſtiana* tomo 4. Pariſ. Edit. apud quos Sæculo decimo occurrunt Lugdunenſes Epiſcopi ſequentes:

Remigius II. circa annum Chriſti 919.
Anſcherius anno Incarn. Dom. 925.
Wido, ſeu Guido anno Domini 928. 938. 943.
Burchardus I. qui Widoni ſucceſſit anno 949. vixit usque ad annum 956. aut 957.
Amblardus ad annum 979.
Burchardus II. regere cœpit anno 979. anno autem 1000. Salviniacenſibus Monachis in Leidacum montem cum ibidem ſita ſylva conceſſit.

An ergo nulla omnino apud Doctiſſimos hoſce viros Sigisberti inter Epiſcopos ſit mentio? Fit omnino; ſed cum parvo Lancilloti ſolatio; addunt enim pag. 71. *In Epiſcoporum* (Lugdunenſium) *ſerie poſt Widonem in Catalogis confuſio non modica. Illi Bernardum ſine medio ſufficit Severtius; ſed absque fundamento, repugnantibus omnibus Præſulum Indicibus. Bernardo quoque ſucceſ-ſorem*

ſorem aſſignat Sigisbertum, fretus authoritate NB. *Lancilloti ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini. Verum hic cum nullo fundamento nixus, Sigisbertum Lugdunenſem Præſulem aſſeruerit, nullam fidem meretur.* Sapienti pauca.

Archiepiſcoporum Lugdunenſium ſeriem, vivente adhuc laudato Severtio, edidit Joannes Chenu, in Hiſtoria Chronologica Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Galliæ, Pariſiis an. 1621. apud Nicolaum Buon, eamque cum multis Authoribus, præcipue cum hiſtoria Lugdunenſi Guilielmi Paradini, Claudii de Rubis Notis, in Privilegia, Conſulibus, & Civibus Lugdunenſibus a Regibus conceſſa contulit; ut circa finem teſtatur; Sigisbertum autem omnino expunxit: De quo pariter nihil ſcire voluit Symphorianus Campegius, qui ſcripſit Hierarchiam Eccleſiæ Lugdunenſis. Quis non ex his omnibus videt, ex Documentis ſolidis minime tribui poſſe Auguſtiniano cordi incorruptionis donum, poſt mortem divinitus conceſſum, nec fabuloſæ huic narrationi quidquam roboris accedit ex verbis, quibus Lancillotus illam claudit, confirmat id, inquiens, perilluſtre decus Familiæ noſtræ P. Auguſtinus de

JEſu a Caſtro, Bracharenſis Archiepiſcopus, qui authoritate Gregorii XIII. Bavaricam Provinciam viſitans, inter cæteras Reliquias argenteam Monachii capſulam deprehendit, quam poſt in Luſitaniam retulit, pluribus ſeris obfirmatam, in qua ſervabatur corculum ferreum magnitudinis unius acini, obductum aureo circulo, cum hac inſcriptione: *Cor admotum vero cordi S. Auguſtini; ferreum propter nimiam ejus conſtantiam, & aureum propter inflammatam Ejus charitatem.*

Quid ad hoc? Reſpondeo, Lancillotum in hac narratione non ea ſinceritate fuiſſe uſum, qualem in Hiſtorico prudentes Lectores deſiderant; longe aliter res ſe habet. Falſum omnino eſt, Auguſtinum de JEſu a Caſtro Bracharenſem Epiſcopum Monachii inveniſſe cor ferreum, aureo circulo obductum, cum hac inſcriptione: *Cor admotum vero cordi S. Auguſtini &c.* Sed longe alia fuit, quæ duobus duntaxat verbis conſtabat, ſcilicet iſtis: *Cor Auguſtini.* Quæ Inſcriptio merito Bracharenſi Archiepiſcopo debuit eſſe ſuſpecta; cum ex nullis authenticis monumentis usque ad moderna tempora hactenus doceri potuerit civitatem Monacenſem *cor Auguſtini* poſſediſſe, aut illuc fuiſſe translatum.

tum. Mutata itaque fuit vetus inſcriptio, & alia eidem ſuppoſita. Interogabit forſan aliquis a quo ? Silere mallem hoc factum, quam illud prodere. Ipſemet Bracharenſis hic Epiſcopus, dum viſitatorem Generalem Eremitarum per Germaniam ageret, variatæ Inſcriptionis Author eſt, Teſte Ludovico ab Angelis L. 6. de vita S. Auguſtini. *Prudens Antiſtes* ait, *ut ambiguitatem tolleret, Inſcriptionem mutavit.* Videatur Honoratus a S. Maria in Animadverſionibus in Regulas, & uſum Critices Tomo 3. Libro V. Diſſert. VI. Artic. VII. Judicium de hac mutatione Lectoribus meis relinquo. Nec mihi, nec multis aliis ferrea hæc cordis machina aſſenſum extorquebit, cor Auguſtini ex reliquo corpore excerptum, ac incorruptum, alicubi terrarum fuiſſe aſſervatum, ſi vel mille ſcriptores Neoterici hoc affirmarent. Poſſidii, aliorumque veterum ſcriptorum ſilentium facit, ut modicam Illis fidem adhibeam. Ex hoc ipſo fundamento ruunt omnia reliqua Auguſtiniani cordis afficta decora, motus ſcilicet Illius, pronunciato SS. Trinitatis nomine, aut Illius ſubſultatio, explicatis Illius de SS. Trinitate Libris.

Miror, hoc ultimum prodigium Eremitanis quibusdam ſcriptoribus placere

cere potuiſſe, aut inſtar veri miraculi narrari cum tamen defendant, *quod mirifico cœleſtis pueri, juxta Bertoldi littus ſibi apparentis Oraculo, ab iis continuandis Auguſtinus fuerit deterritus.* De hæreticis Eccleſiam, in qua cor Auguſtini aſſervatur, intrantibus, & mox divinitus enecatis, aut proſtratis, nullum umquam Authenticum atteſtatum impetrabunt, qui narrare ſimilia ex Zelo minus erudito audent, & Catholicam Eccleſiam non leviter proſtituunt; quæ mendaciis non ornatur, nec vult, ut populus Chriſtianus paſcatur hujusmodi glandibus. Quibus hæc mea de Auguſtiniani cordis incorruptioneac inventione non placent, legant hac de re Joannis Stiltingi S. J. Commentarium prævium S. Auguſtini, Tomo VI. Auguſti de Actis Sanctorum §. LXIII. agit de Reliquiis Sancti hujus Doctoris, ac numero 812. hunc in modum diſſerit: *Tædet afferre, quid de corde Auguſtini fabulati ſunt aliqui; quibus conſentire videtur Taurellus ad annum 430. ſeu Tomo I. pag. 615. & 616. Cum obiiſſet Sanctus,* inquiunt, *Angelus de Cœlo deſcendit, & cor extraxit de corpore, illudque anno 951. donavit S. Sigisberto, Epiſcopo Lugdunenſi. Non novi,* pergit Stiltingus, *S. Illum Sigebertum Lurudunenſem Epiſcopum, ac ne Lurudunum quidem inveni. Si illud nove-*

noverat Taurellus, explicare debuerat, in qua situm sit provincia. Invenit Illam Historiam Hieronymus Romanus in Libro antiquissimo, teste Taurello. At, me Judice, & Hieronymus Romanus, & Taurellus ipse prudentiores esse debebant, quam ut scriberent rem adeo incredibilem sine irrefragabili authoritate; nam alioquin merito timere poterant, ne se exponerent risui Eruditorum, qui hujusmodi facta solent fabulis adnumerare, etiamsi a variis referantur Neotericis. Porro mirabilia quoque narrata sunt de motibus cordis S. Augustini; at, cum nullibi probatum inveniam, cor separatum a corpore alibi fuisse servatum, nullus urbem nominet, in qua Illud venerationi vel sit, vel fuerit expositum, malim illa omnia silentio premere, quam multis verbis refutare. Hæc doctissimus Antverpiensis Hagiographus, qui de vita S. August. immortaliter fuit meritus, & certe majorem notitiam de gloriosis Ejusdem Actis habuit, quam nonnulli nasutuli scioli, aut inepti, facile nominandi Concionatores, qui meliores Litteras aut nesciunt, aut contemnunt; dumque similia fabulosa referunt, plausum quidem referunt a rudi populo; viri prudentes autem, talia dum audiunt, tacite saltem ingemiscunt, ac dolent, tam ineruditis Oratoribus laudes tanti Ecclesiæ Doctoris fuisse commissas. Addo hic,

me in Quæstionis hujus §. I. dixisse, quod Theophylus Raynaudus *videatur* stare pro incorruptione Augustiniani cordis, illiusque miraculosis motibus, mutavit autem hanc suam sententiam alibi, in Libro scilicet de Stigmatismo sancto & prophano cap. 2. Apparitionem Angeli Sigisberto, sive Lurudunensi, sive Lugdunensi Episcopo factam, ceu confictam paribus armis impugnat.

§. III.

An saltem Augustini, adhuc viventis, cor fuerit a Seraphino telo ignito transfixum.

Jam abrumpere volebam hanc de corde Augustiniano materiam, cum nil simile cogitanti mihi in manus incideret Cœlum Empyrium, a R. P. Henrico Engelgrave S. J. & Insigni Ecclesiaste fabricatum, Ejusque Pars II. Evolvi mox Panegyricum pro Festo magni P. Augustini. In hoc celebratur 1mo Cor Augustini *contritum*, 2do. Cor *humiliatum*, 3tio. Cor divino jaculo *vulneratum*. Quæ promisit sacer Orator etiam præstat cum insigni Eruditione, & eloquentia. Parte 3. hæc adducit Augustini verba, ex Commentario Illius in Psal. 127. *Totum Cor meum flamma tui amoris*

amoris accendat ; nihil in me relinquatur mihi , nec , quod reſpiciam ad me ipſum , ſed totus ad te , tanquam flammatus a te. Inter hæc, ſubdit laudatus Engelgravius, inter hæc amoris fomenta , & e cordis fornace eventilata deſideria , proponite ob mentis oculos , quod fidi Auctores opinantur , unum de Beatis Illis Seraphim advolaſſe , & igneo Seraphici amoris telo cor Auguſtini transfixiſſe ; ut pie, & vere de ſe ipſo : Sagittaveras cor noſtrum Charitate tua lib. 9. Conf. cap. 2. Ita Lancillotus , Joannes ab Angelis , Emanuel Carea , tradidere , qui ſic cecinit :

Gentis Eremiticæ Pater Auguſtinus amore
Divino accenſus , Chriſtum meditatus , ab Illo
Fonte capit plagas , & ab illo Fonte ſagittas.

Lancillotus de Apparitione Seraphini nihil habet. Si Joannes ab Angelis teſtem idoneum haberet , non ſiluiſſet præſtans hic Encomiaſtes ; verſus Emanuelis Carea rem non probant. Ad Oratorias itaque artes confugit Engelgravius , & ſequentibus confirmat, aitque : Hoc diſerte innuit Auguſtinus , dum , ut ſupra diximus , exclamavit : *Vulnera cor meum igneo , & potentiſſimo telo,*

telo tuæ nimiæ charitatis, tu ſagitta electa, quæ ſenſum humani cordis penetrare tua potentia vales. Cit. Meditation. cap. 37. At hic Liber perperam adſcribitur Auguſtino, & nihil habet hic, ſi etiam genuinus Ejus partus eſſet, de Seraphim ſibi apparente. Addit præterea: *Confige cor meum jaculo tui amoris; ut dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata ſum.* Quid autem per hoc jaculum, per ſagittas intelligat, ſatis explicat Auguſtin. Libro 10. Confeſſion. cap. 6. *Percuſſiſti Cor meum verbo tuo* (non Seraphico telo) *& amavi te, & geſtabamus verba tua transfixa viſceribus.* Ac iterum Tractatu in Pſal. 119. *Sagittæ*, inquit, *potentis acutæ, verba Dei ſunt; ecce jaciuntur, & transfigunt corda:* Sed, *cum transfixa fuerint corda ſagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus paratur. Novit Deus ſagittare ad amorem; nemo pulchrius ſagittat ad amorem; quam, qui verbo vere ſagittat: Imo ſagittat cor amantis, ut adjuvet amantem; ſagittat, ut faciat amantem.*

His omnino ſagittis verbi Dei ſagittatum eſt cor Auguſtini, his effectus eſt amans, his inflammatum illius eſt cor. Si hujusmodi Sagittas in tela Seraphinorum Pictores transforment, merentur veniam, ſcimus enim quanta illorum

rum in Emblematicis tabellis ſit licentia, quanta poteſtas. Sileant autem Cathedræ de Apparitione Seraphini, Ejusque jaculo; ne illo configatur hiſtorica veritas, nec etiam pro vera hanc narratiunculam vendere audet Engelgravius, *ſed Opinionem* duntaxat vocat iis verbis: *Quod fidi auctores opinantur.* Breviter hic animadverto, Clariſſimum P. Laurentium Berti de Seraphico telo, de Integritate cordis Auguſtiniani, Ejusque ſtigmatibus, nec ſyllabam habere in præſtanti ſuo Opere, quod *de rebus geſtis S. Auguſtini, Latinorum Patrum nobiliſſimi*, recenter conſcripſit. Nihil pariter habet de Apparitione Angeli, Sigisberto Lugdunenſi facta, nihil de miraculoſa Exultatione Cordis, ac miris illius motibus, & imitatus in hoc fuit præclariſſimos alios Theologos, virosque doctos, qui Geſta S. Auguſtini, oppido miranda ſuis commentariis illuſtrarunt; qui pariter fabuloſas hujusmodi narratiunculas ſilentio præteriêre, nec dignati ſunt, vel a longe illas tangere, cum ii, qui ſimilia narrant, Idoneo authore deſtituti ſint, nullum probabilitatis aut credibilitatis pondus addere valent; ſed omnis authoritas omnis fides in Lancilloto abſorbetur. Nec hic tacendum puto, Lancillotum de miraculoſis motibus cordis

S. Au-

S. Augustini, potissimum se fundare in Libro: *Panis quotidianus*, inscripto, *Anagniæ* ut ait, *impresso*, anno MDIX. ut videre est in vita S. Augustini libro tertio c. 43. Diu nesciebam, qualis hic liber, quis, & quantæ Authoritatis illius sit Author? dicit Lancillotus in margine, hunc librum reperiri in Bibliotheca Monasterii S. Laurentii in Escuriaco. Bona autem fortuna comite, hunc librum etiam in Bibliotheca nostra detexi. Errat autem Lancillotus, affirmando, hunc librum esse *Anagniæ* impressum Anno MDIX. non enim Anagniæ sed in Imperiali Civitate *Hagenaw*, sive *Hagenoæ*, fuit impressus; ut in extrema pagina Typographus testatur, Anno MDIX. ac *ipso die SS. Prothasii, & Gervasii Martyrum completus est feliciter*. Author hujus libri, qui *Panis quotidianus* dicitur, est *Hieronymus de Villa Vitis*, hoc est de Rebdorff (Canonia Regularis est haud procul Eustadio distans) Canonicus Regularis, qui ad initium Seculi XVI. floruit; de quo Joannes Chrysostomus Hagerus Can. Reg. Garsensis in libro MS. de scriptoribus Ordinis Canonico-Apostolici habet sequentia: *Hieronymus Rebdorffensis, zelo divinæ gloriæ, & salutis proximi apprime accensus, vixit anno 1510.* edidit Orationale de tempore Hagenoæ anno 1509. Ora-

Orationale de Sanctis, *Commentariolum in ſeptem Metanœæ Pſalmos*, ibidem. Omiſit tamen Hieronymi Opuſcula. 1. Dietam honeſtæ vitæ. 2. Commentum ſuper Letaniam omnium Sanctorum. 3. Colloquium divinum; quæ omnia Opuſcula in forma, quod ajunt, quarta, citato anno ſimul fuere impreſſa, ex quibus Orationale de tempore, & de Sanctis, Hieronymus *Panis quotidiani* titulo inſcripſit; cujus rationem mox aperit in prologo, quem hiſce verbis claudit: *Sicut communiter bene operantibus aliqui adverſantur, ita & mihi in hoc Opere contrariebantur. Unus autem, cum materiam hujus Libri legiſſet, totus in fletum convertebatur; &, ut a cœpto Opere non deficerem, exhortabatur: Secundus autem per hanc Lectionem a dura triſtitia reſiliit; Tertius, quique a corporali distemperantia, cum Librum aperiret, convaluit. Signis nunc, & Juſſis Majorum meorum compulſus, Correctioni, & Fraternæ utilitati hunc Librum expono, & cunctos Lectores, ut etiam pro me miſello orent, exoro.* Sed quid tandem habet Rebdorffenſis ſcriptor in favorem Lancilloti? Die 28. Auguſti de Corde, & amore S. Auguſtini habet ſequentia: *Benedicant igitur te Patrem dulciſſimum cuncti, qui noverunt nomen tuum, Cordis tui quoque ſubſtantia ſingulariter benedicatur,*

quod

quod etiam adhuc mirifica devotione integrum converſatur ; id ipſum enim in prolatione ſanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth, exſultare cernitur, &, ſicut quondam, ita & nunc, Salvatorem mundi collaudare nititur. O quibus ſaltibus, dum adhuc viveres, in Dei amore exultabat, ſi id, te defuncto, a motu ſupernaturali adhuc non tepeſcit? O! amator Chriſti! dignare, & nobis impetrare divini amoris incendium. Hæc habet devotus ſcriptor, cujus devotioni anſam fors præbuit, quod hæc apud Jordanum de Saxonia legerit, cum tamen Jordanus teſtem Idoneum hic agere non poſſit, multo minus pro teſte tali admitti poterit Hieronymus de vitis Villa, utpote Junior Jordano. Certa ſemper manet Criticorum Regula: Teſtis de re, quæ præceſſit duobus, aut tribus Sæculis, ſine allegatione teſtis Synchroni, non eſt teſtis Idoneus, neque teſtis de Actis in regione diſſita, eſt teſtis Idoneus, ſine Documento Idoneo. Hæc autem omnia deſunt apud ſcriptorem noſtrum, utut pium, & erga SS. Legislatorem ſuum devotiſſimum.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An S. Auguſtinus ſit Author Orationis : *Ante Oculos tuos Domine &c.* eique jam in uſu fuerit MARIANUM ROSARIUM?

§. I.

Aſſertur integra Orationis formula.

In Editione Pariſienſi Operum ſancti Auguſtini Anni 1651. habetur hæc Oratio, cui hanc præfixere Lovanienſes admonitionem. *Oratio S. Auguſtini paullo ante obitum in Obſidione Hipponenſi compoſita, ſuis Operibus non contenta à Cardinali Seripando Patribus Concilii Tridentini data.* Expreſſa relatione Orationis hujus non meminit S. Poſſidius, aſſerit tamen Capite decimo octavo Vitæ Auguſtini, quod durante Obſidione Auguſtinus ſolito amplius planxerit, eique Lachrymæ fuerint panes die ac nocte, & cum aliis Coepiſcopis, qui Hipponam confugerant, Dei miſericordiam imploraverit. *Dolentes*, inquit S. Biographus, *gementes & flentes Orabamus miſerationum Patrem & Deum omnis Conſolationis, ut in eadem nos Tribulatione ſublevare dignaretur.* Hæc ſecum perpendens Salinaſius hanc Ora-

 tionem

tionem in Notula (*h*) affert, ſuam tamen ſententiam ſuſpendit. Adducere pariter hic illam cum Inſcriptione liceat, non prout reperitur in Editione Pariſienſi, ſed prout illam communiter referunt Romana Breviaria.

ORATIO
A PAPA URBANO VIII. Edita.

Ante oculos tuos Domine culpas noſtras ferimus, & plagas quas accepimus, conferimus.

Si penſamus malum, quod fecimus, minus eſt quod patimur, majus eſt quod meremur.

Gravius eſt quod commiſimus, levius eſt quod toleramus.

Peccati pœnam ſentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas noſtra teritur, iniquitas non mutatur.

Mens ægra torquetur, & cervix non flectitur.

Vita in dolore ſuſpirat, & in opere non ſe emendat.

Si exſpectas, non corrigimur; ſi vindicas, non duramus.

Con-

Confitemur in Correctione quod egimus, obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum facienda promittimus, si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias clamamus ut parcas: si peperceris iterum provocamus, ut ferias.

Habes Domine confitentes reos, novimus, quod nisi dimittas recte nos perimas.

Præsta Pater omnipotens sine merito, quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

℣. Gregem tuum Pastor æterne non deseras.

℟. Sed per Beatos Apostolos tuos perpetua defensione custodias.

℣. Protege Domine Populum tuum ad te clamantem, & Apostolorum tuorum patrocinio confitentem.

℟. Perpetua defensione custodias.

℣. Orate pro nobis sancti Apostoli Dei.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ Confessionis Petra solidasti. Per Dominum &c.

Imploret, clementissime Domine, nostris opportunam necessitatibus opem devote a nobis prolata meditatio, qua Sanctus olim Joannes Chrysostomus, in hac Basilica conditus, te cum Beatissimis Apostolis Petro, & Paulo repræsentavit sic loquentem: Circumdate hanc novam Sion, & circumvallate eam, hoc est, custodite, munite, precibus firmate: Ut quando irascor in tempore, & orbem terræ concutio, aspiciens sepulchrum vestrum nunquam desiturum, & quæ libenter propter me geritis stigmata, iram misericordia vincam, & ob hanc percipiam vestram intercessionem. Etenim quando Sacerdotium, & Regnum video lachrymari, statim quasi compatiens ad commiserationem flector, & illius meæ vocis reminiscor: Protegam Urbem hanc propter David servum meum, & Aaron sanctum meum. Domine, fiat, fiat: Amen, Amen.

Hic

Hic Orationis totius contextus eſt, prout a Papa Urbano VIII. eſt edita, quæ ipſa Inſcriptio dubium poſteriori tempore nonnullis Scriptoribus movit an Urbanus genuinus illius Author, an vero Auguſtinus ſit? Bene autem hic notandum, quæſtionem hanc tantum moveri de priori parte hujus Orationis, quæ incipit: *Ante Oculos tuos*, & hiſce verbis terminatur apud Lovanienſes: *Præſta Pater omnipotens Deus, ſine merito quod rogamus, qui feciſti ex nihilo, qui te rogarent. Amen.* Quod appendix, & reliqui Verſiculi cum adjunctis precibus ad Urbanum VIII. pertineant, a nemine controvertitur; certum enim eſt, quod in proſtrema Oratione ſermo ſit de Baſilica SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, in qua S. Joannis Chryſ. Corpus olim fuerat reconditum. Audiamus ergo, quid hac in re ſentiat recens, ac valde eruditus Scriptor Italus.

§. II.

Sententia Clariſſ. Theologi P. Laurentii Berti, Ord. Eremitarum S. Auguſtini.

Variis in Locis diſſertationis meæ Viri hujus Clariſſimi, deque præſtanti illius Opere, quod hunc titulum præfert: *De Rebus geſtis S. Auguſtini Latino-*

rum Patrum nobilissimi, Librisque ab eodem conscriptis Commentarius &c. Facta est honorifica mentio. Editus est hic Commentarius Venetiis Anno MDCCLVI. apud Antonium Bassanese. Cap. LXXI. de hac Oratione agit, illiusque Authorem in lucem ponit tanta cum eruditione, ac modestia, ut facilem sperare assensum à Viris eruditis, sibique victoriam promittere jure possit. Laudavi illius modestiam; Videtur enim viam quasi mediam eligere, ubi ait: *Apparet ipsam Orationem Augustino tribuendam fore, tanquam ex ejus Libris collectam, tametsi non haberet ad hunc modum disposita Authorem ipsummet Augustinum.* Totum ipsius Ratiocinium huc transferre placuit, ex quo Lector facile vastam illius eruditionem etiam in rebus sui Ordinis colligere poterit. Ita discurrit Vir clarissimus.

Fertur obsidionis tempore, & paulo ante obitum edidisse Augustinus Orationem illam, quæ incipit: *Ante oculos tuos Domine*, opus revera, quod sancti Patris salivam habet, & ex anima in angustiis, & in Tribulationibus posita exiit, ad divinam indignationem avertendam directa. Sed quoniam Urbani VIII. in Breviariis, quibus additur, & ad ipsam Apostolorum Confessionem in Vaticana Basilica, nomen præfert, arbi-

arbitror quædam breviter adnotare. Eamdem ergo Orationem Augustino adscribunt Scriptores Ordinis Ludovicus de Angelis libro 6. cap. 2. Joannes Rivius libro 4. cap. 11. §. 2. Bartholomæus Urbinas in Milleloquio V. *Tribulatio*, Angelus Rocca tom. 1. pag. 503. aliique omnes. Lovanienses itidem tanquam Augustini fœtum agnoverunt, eamque edi curarunt in fine ejus Vitæ hac admonitione præfixa, *Oratio S. Augustini paulo ante obitum in obsidione composita, suis operibus non contenta, a Cardinali Seripando Patribus Concilii Tridentini data.* Eamdem Augustino tribuunt Franciscus Macedo in Concentu Euchologico pag. 471. atque in adnotationibus suis ad Possidium in Vita Augustini cap. 28. Joannes Salinas Canonicus Regularis. Quoniam vero hi omnes asserunt eamdem orationem primo traditam, & vulgatam a Cardinali Seripando; Sciendum est, a Viro hoc præstantissimo non solum in Tridentino Concilio publicatam, sed antea quoque missam ad Salernitanos suos, ut illa in hujus vitæ adversitatibus uterentur; quod Seripandus ipse narrat in Concione duodecima supra symbolum pag. 253. Romanæ editionis anni 1585. Laudatæ concioni Seripandus attexuit expositionem ipsius Orationis eloquentissimam & pulcherri-

mam, præfixo eidem hoc titulo: *Discorso sopra un' Orazione, la quale fece santo Agostino essendo assediato col suo Popolo nella Città d' Hippona da infedeli*, ibidem pag. 244. Quum hæc scripserit Seripandus longe ante Urbanum VIII., evectum ad Petri Cathedram anno 1623. VIII. idus Augusti; imo ante Pontificatum Urbani, id est, anno 1614. in Lucem emiserit Vitam S. Patris Conimbricæ Ludovicus de Angelis; evidentissimum est, Orationem, de qua est Sermo, non fuisse ab eodem Urbano compositam. Adde illam reperiri inter Opuscula Augustini MS. in Angelica Bibliotheca, cum aliqua etiam quarumdam vocum variatione: ea vero MS., utut posteriorum temporum reputentur, certe & Urbani, & Seripandi ætatem superant alicujus Seculi intervallo. Nec vereor, quin Seripandus cum Doctissimus & Eruditissimus foret, alia MS. vetustiora perlegerit, quorum ductus Auctoritate, Augustino prædictam Orationem adjudicaverit. Felix quoque Milensius vir instituti nostri Eremitici doctus, piusque, in Opusculo de hac Oratione conscripto, ac primum in lucem edito Romæ anno 1598. deinde Neapoli anno 1635. de illa accurate agit, collatis cum unoquoque hujus Orationis versiculo verbis, sententiisque

Augu-

Augustini aliunde deprompitis: Unde apparet ipsam Orationem Augustino tribuendam fore, tanquam ex ejus Libris collectam, tametsi non haberet ad hunc modum disposita Auctorem ipsummet Augustinum. In secunda item editione memorati Opusculi Milensius Orationem hanc dicavit Urbano VIII. ei præmissis litteris grati animi sui significationem exprimens, quod Summus Pontifex commendaret plurimum Orationem illam, quam S. Pater Augustinus, animi oppressus amaritudine, composuit in Obsidione Hipponensi: quod nunquam Milensius scripsisset, si Auctor Orationis fuisset Urbanus. Denique in Breviariis titulum præferebat: *Oratio S. Augustini jussu Urbani VIII. edita*, non ut habetur modo: *Oratio ab Urbano VIII. edita.* De hac Oratione, quam Auctori suo vindicavimus, ait præcitato in loco Franciscus Macedo, illam *rite concipi, & recitari in Perusino Cœnobio Augustiniano singulis sextis feriis per annum.* Eam quoque Fratres nostri ante Crucifixi imaginem iisdem sextis feriis devote recitant Veronæ, Bononiæ, Florentiæ, aliisque in locis compluribus, Romæ autem in Choro singulis Sabbatis. Illam ad hymnorum metrum redegit Taddæus Caputus Laurinensis, & in Carmen hexametrum Scriptor à Gandulpho

 com-

commemoratus pag. 381. Italico etiam carmine illam expreſſerunt prælaudatus Milenſius, Ludovicus *de Caſa*, & Franciſcus Maria *Battaglia*, primus octonis, alter ternis, ultimus binis pro qualibet periodo verſibus.

Hucusque doctiſſimus hic Theologus, cujus Sententiæ, ut opinor, Viri docti libenter ſuum adjicient Calculum. Nihil addo quam Orationis hujus elegiacam verſionem, rudi Minerva nuper à me conſtructam.

§. III.

Orationis elegiaca Verſio.

Maxime terrarum, ſummi dominator Olympi
Ante oculos ferimus crimina noſtra tuos;
Aſpice plagarum pondus, queis vindice dextra
Iratus multum tergora noſtra premis.
Si mala penſamus, quæ nos patravimus, eheu!
Major culpa gravat, ſuppliciumque minus.
Sunt populi ſontis delicta graviſſima noſtri,
Et prope ſupplicium nil gravitatis habet.

Senti-

Sentimus pœnas ob justi Numinis iras,
Mens tamen immota est, & placet omne nefas;
Gens infirma tuis teritur, quatiturque flagellis,
Et tamen exosum, quod luit, urget Opus.
Mens afflicta gemit, nec, dum gemit, inclinatur
Nec cervix tantis flectitur ulla malis.
Quid superest vitæ? dolor, & timor, & singultus
Necdum autem admissum vult abolere scelus.
Exspectas: mores non emendamus iniquos,
Vindictam exerces: arripimusque fugam.
Sub Virga positi commissa errata fatemur,
Mox arent Lachrymæ, queis maduere genæ.
Si dextram extendas, sumus ad facienda parati
Telo suppenso: pondere verba carent.
Si ferias, miseri clamamus: parce redemptis!
Si parcas: iterum cogimus ut ferias.
Quin nos ergo reos Domino fateamur oportet,
Ni veniam tribuat, perdita turba sumus.

Da

Da Pater omnipotens, quod nullo jure meremur,
Fecisti ex nihilo, qui tibi vota ferant.
Per tam dulce tibi Christi ac venerabile nomen
Hæc fieri facias, hæc fierique juva.

§. IV.

An S. Augustino jam cognitum, ac in frequenti usu fuerit Marianum Rosarium?

Fratris Alani de Rupe, Ejusque Visionum, ac Revelationum frequens fit mentio apud Ecclesiasticos Oratores, qui in solennitatibus SS. Rosarii populum Christianum ad crebrum utilissimæ hujus Devotionis usum animare, & ardenti Zelo accendere solent. Quod etiam laudatus Alanus magno fervore præstitit, adducto S. Augustini exemplo. Quid Rosarium sit, omnibus notum est, ipsæ Lectiones secundi Nocturni in Festo Rosarii B. Virginis declarant, quod *Rosarium* sit certa *precandi formula, qua quindecim Angelicarum Salutationum decades Oratione Dominica interjecta distinguimus, & ad eadem singula totidem nostræ Reparationis Mysteria pia Meditatione recolimus.*

Ain

Ain vero, hacne Orandi Formula jam usus sit Augustinus, ut suum erga Dei Matrem comprobaret affectum? Ita est; sed non mea hæc, sed laudati Alani assertio, &, si credere velis, ab ipsamet Deipara eidem ita revelatum est. Audi Illius verba ex Guilielmo Cupero S. J. Tomo I. Aug. die 4. p. 425. *S. Augustinus Ecclesiæ Doctor incomparabilis Psalterium Mariæ usurpavit; ecquis enim dicere audeat, vel cogitare, tantum virum Psalterium tantum ignorasse, quod Ecclesia prædicat, & frequentat? scimus, ut B. Virgo revelavit.* Vin' plura? Alanus ex simili revelatione didicit etiam reliquis tribus Ecclesiæ universalis Doctoribus S. Hieronymo, S. Ambrosio, & S. Gregorio, Rosarium, sive Psalterium Marianum in usu fuisse; unde pergit: *Scimus, S. Hieronymo dictum orandi ritum ad calculos numero centum quinquaginta singulare extitisse Refugium, tum adversum Hæreticos, tum, ut in omni scientiarum genere tantum præstaret stylo, quantum orbis admiratur. Scimus ut item ter benedicta Mater Dei revelavit, S. Ambrosium, & S. Georgium* (dicere volebat Gregorium) *hujusce Psalterii sanctissimam scivisse dignitatem, idque* NB. *in substantia, in quantitate, & qualitate, & eos quisquam de ulla ejusdem Orandi*

Orandi negligentia, & omiſſione ſuſpectos habere vel cogitatione poterit? Quid ad hæc, benevole Lector? Numquid Revelationis hujus portentum egregium ſacris Oratoribus in Cathedra præbebit apparatum ad demonſtrandum, quantum Mariam Auguſtinus dilexerit, &, quam ſedulus fuerit in perſolvendo Mariano Pſalterio? Verum abſit; non his auxiliis, non defenſoribus iſtis eget ſancti Doctoris erga Dei Matrem pietas, ſatis jam ſupra in lucem poſita. Non opus eſt, ut hic recurram ad negativum argumentum; cum hac de re nec in Operibus Auguſtini, nec apud S. Poſſidium, aliosve ſcriptores Synchronos extet veſtigium; ſufficit, quod ipſimet Romani Pontifices nullam Revelationis hujus rationem habuerint, ſed primum Pſalterii, ſive Roſarii Mariani Authorem S. Dominicum fuiſſe in ſuis Conſtitutionibus affirmaverint, ſcilicet Leo X. S. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Alexander VII. Innocentius XI. & Clemens XI. ut videre licet in Proſperi Lambertini, ſive Benedicti XII. P. M. Commentariis de Canonizatione Sanctorum Part. II. num. 13. Et in Tractatu de Feſtis B. V. M. num. 156.

Si autem S. Dominicus primus Pſalterii Mariani Author, quomodo nota fuiſſe

fuiſſe jam potuit Auguſtino, aut omnino ipſismet Apoſtolis, ut aliqui cum Alano de Rupe fabulantur apud allegatum ſupra Guilielmum Cuperum?

Dices forſan: ſi hæc precandi formula jam nota fuit S. Benedicto, Venerabili Bedæ, aut Petro Eremitæ, principalis Ratio noſtra eſt nulla; Orationis enim tam antiquæ notitia etiam devenire potuit ad Auguſtinum, ab Eoque uſurpari: Atqui hæc precandi formula jam nota fuit S. Benedicto, Venerabili Bedæ, aut Petro Eremitæ, quæ plurium Authorum eſt opinio; ut videre eſt apud Cuperum l. c. in prævio ad vit. S. Dominici Commentario §. 19. & ſeqq. ergo.

Minorem hujus argumenti transmiſſa majore, negant Thomas Vincentius Monelia Ordinis Prædicatorum in Diſſertatione de Origine ſacrarum precum Roſarii, Romæ anno 1725. edita, Choquetius, Malvenda, aliique nominati celeberrimi Ordinis ſcriptores magno numero, ac S. Dominico validiſſimis argumentis Primi hujus Devotionis Inſtitutoris decus adſtruunt; quorum ſententiæ etiam validiſſimum robur addit Immortalis Memoriæ Pontificis, Benedicti XIV. de Origine hujus Feſti authoritas. In utramque partem laudatus

datus Cuperus Diſputantium rationes affert, ac hiſce verbis claudit: *His in utramque partem diſputatis, ac obſervatis, de ipſa controverſia liberum judicium Eruditis Lectoribus relinquimus.* Ad hoſce ſcriptores Lectores ego meos remitto. Puto ego in hac controverſia inſiſtendum firmiter eſſe tot Conſtitutionibus Pontificum, ac *Primi Inſtitutoris* laudem S. Dominico jure denegari haud poſſe. Sed quid de Revelationibus Alani de Rupe, ac frequentiori uſu S. Auguſtini hujus precandi formulæ? De his omnibus prudenti Concionatori in Cathedra omnino erit ſilendum. Solidiſſima recitandi Roſarium pietas eſt, gratiſſima Mariam ſalutandi formula, tantam erga Matrem digniſſima Devotio, facilis meditandi Reparationis noſtræ Myſteria methodus, ſaluberrima eſt tot Confraternitatum ſub hoc titulo inſtitutarum praxis, Romanorum Pontificum firmata Bullis, ditata Privilegiis, prodigiis fere innumeris a cœlo approbata, multis de hoſtibus Chriſtiani nominis nobilitata victoriis, Marianis favoribus, & miraculoſis Eventibus commendata, & commendanda omnibus fidelibus, non tamen rudi populo perſuadenda fabulis, aut fictis Revelationibus inculcanda. Quid juvat Antiquiſſimis S. Eccleſiæ Doctoribus affingere Devotinis hujus noti-

notitiam? An Auguſtinus Mariam Dei Matrem SS. minùs coluit, ſi ſimili Illam invocandi, & ſalutandi non uſus eſt formula? Qua authoritate Auditoribus ſuis, ſi ultra vulgum ſapiant, ſacer Orator, perſuadebit, Hipponenſis Eccleſiæ Antiſtitem Mariani Roſarii notitiam habuiſſe, ac frequentiorem Illius uſum commendaſſe ovibus ſuis? An Alani de Rupe ipſi ſufficiet authoritas? Vereor, ne ex hujus ore laudari vellet Auguſtinus; cum Alanus non admodum magnus audiat a proprii Ordinis Sodalibus; etſi non deſint, qui illum etiam *Beati* appellatione honorent. Echardus Tomo I. Bibl. Prædicat. pag. 850. & 851. Alani hujus geſta, ac ſcripta recenſet; ibidem autem de Opuſculis, quæ ſub titulo *Alani redivivi* prodierunt (in quibus S. AuguſtinoRoſarii Mariani Part. II. cap. 2. pag. 95. uſum, ac notitiam tribuit) ſic judicat: *Quædam autem hic de eodem ſcriptore addenda, primo Revelationes Ejus, & Viſiones, Sermones S. Dominici ipſi revelatos, exempla, & miracula Roſarii: Iſta, inquam, omnia non habenda, quaſi re vera extiterint, ſed Meditationes tantum eſſe viri pii, qui in hunc modum cogitationes ſuas efformabat, ut auditorum animis facilius illaberetur.* Quantum autem temperantiſſima hæc criſis Guilielmo Cupero diſplicuerit, qui ſcire cupiunt,

 piunt,

piunt, citatum a me ſupra Commentarium adeant, & §. 8. legant, qui hanc Inſcriptionem habet: *Examinatur auctoritas Alani de Rupe, qui ſtupenda, & antiquis ignota S. Dominici geſta narrat.* Dubitat non raro ſolers hic ſcriptor, an Alanus de Rupe verus, an fictus ſit Author? multis etiam diſplicet Deſponſationis modus, quo cum B. V. ſe deſponſatum gloriabatur Alanus; ſcilicet per annulum, & Pſalterium ex crinibus ipſius V. M. in collo Sponſi ſuſpenſum; taceo alia, de quibus ipſemet Echardus ait: *Niſi illa ſpiritualiter explicentur, neſcio, quis Theologus ferat.* l. c. Ambæ certe aures tinnient Lectoribus, ſi attenta mente legant, quæ apud Cuperum contra Alanum occurrunt, fidemque Illius ex omni latere minuunt. Abſit proin, ut genuinum M. Auguſtini Elogium ex verbis Alani texere audeam, qui tam ſuſpecto laudatore minime habet opus.

CONCLUSIO.

Hæc ſunt, quæ ad cautelam quorundam Concionatorum non ſine magno labore, utinam! pari cum fructu, conſcripſi. Solius veritatis amor calamum rexit, neminique occaſionem offenſionis dare volui, nec ægre ferendum

dùm eſſe puto ætate hac noſtra nonnullis Auguſtini Encomiaſtis qui aliquos affectus, geſta, aut viſiones à Criticis modernis rejectas, eloquentiſſimis ſuis Panegyricis quandoque inſeruere; plerumque enim illam dubii animi vocem: *Fertur*, addiderunt, & ſæpe excuſari merentur tum ob temporis defectum, quod ſatis breve nonnunquam habuere pro elaboranda Laudatione, tum ob penuriam librorum, meliorumque Authorum qui defœcatiori judicio biographiam Magni hujus Eccleſiæ Doctoris in ſe ſuſceperunt. Sed nec mihi quiſquam jure ſuccenſere poterit, quod ſalebroſam hanc viam ingreſſus ſim, & vulgares quasdam, minus probatas narratiunculas, ac traditiones proſcribere coner, quas ut cohibeat, & à Cathedris ſacris arceat ipſamet ſacroſancta noſtra laboravit ſemper Eccleſia, ſeveriſſimoque in Canonizatione Sanctorum ſubjicere ſolet examini, ac in iis diſcutiendis doctorum Virorum nùnquam non dilaudavit induſtriam. Idem mihi erat conſilium, dum hæc folia in publicum exire paſſus ſum. Critico judicio diſcuſſi duntaxat aliquos Affectus S. Auguſtino ab Authoribus dubiæ fidei attributos, geſta ac Viſiones tantum aliquas examinavi, quas appenſas in ſtatera veritatis minus habentes eſſe credidi,

non omnes, ex quarum Claſſe plures benevoli Lectores vel apud ſolos Bollandi Continuatores invenient Tom. VI. Auguſti in prævio ad vitam S. Auguſtini Commentario, ubi eruditiſſimi hi Viri approbationis calculum aliquibus adjiciunt pluribus autem aliis dare non audent, aut breviſſima Criſi perſtringunt, ad quos harum rerum curioſos Amatores remitto. Examinant ibidem Doctiſſimi Critici an S. Auguſtinus ex nobilibus Parentibus natus ſit? Et negativam ſententiam magno rationum pondere ſuſtinent, econtra Apparitionem S. Auguſtini Divo Norberto Præmonſtratenſis Ordinis Fundatori factam ceu genuinam agnoſcunt, cum coævi Authoris munita ſit Teſtimonio, illamque contra Adverſantium inſultus valide propugnant. De notiſſimo Hymno: *Te Deum Laudamus* an ſancto Auguſtino & Ambroſio tribuendus ſit, quæſtionem movere nolui; hanc enim Controverſiam fuſe tractat Vir clariſſimus P. Merati in Sacr. Theſ. Rit. Gavanti Tomo II. Sect. V. Cap. XIX. utrique tamen Sancto abnegant. Monachismum Auguſtini ne examinarem obſtitere multa. Hanc illi Laudem multi tribuunt, multi abnegant. Ego manum de tabula. Scio quid hac in re præſtiterint elapſo ſæculo Viri doctrina & Eruditione præſtantes?

ſtantes? Non ignoro quid præſenti Sæculo ſit actum, qua animorum contentione Canonicos Regulares inter & Eremitani Ordinis Sodales certatum ſit. Nolo ego in hanc Controverſiam, ceu Seminarium multarum diſcordiarum intrare. Quisque in ſenſu ſuo abundet. An Regulam ſuam S. Auguſt. primario ſcripſerit pro Viris an fœminis magnum problema eſt. Litigant alii de Zona pellicea ac ejusdem Cucullo. Nulla in Chriſtianum populum ex reſolutione ſimilium quæſtionum redundat utilitas, nec ad Eccleſiaſticam Cathedram pertinent. Pace mea quocunque libuerit veſtitu illum pictores induant, modo ab habitu Fratrum Diſcalceatorum Ord. S. Auguſtini abſtineant, quod eſſe prohibitum Proſpero Lambertino ſeu Benedicto XIV. P. M. referente conſtat Lib. IV. Part. II. cap. 21. num. 5. de Canoniz. & Beatific. Sanctorum. Interim certum eſt, quod habitus tam parum faciat Monachum, quam tonſura Clericum. Eas itaque duntaxat controverſas Quæſtiones ac dubias Laudes Maximi hujus Eccleſiæ Doctoris ſelegi, quæ plerumque à Concionatoribus minus cautis ceu veritates Rudi populo in Feſtivitatibus Magno Auguſtini nomini ſacris frequenter proponi ſolent, quamvis credibiles apud moderni ævi Erudi-

tos minime habeantur. *Trepidus minime fui ad proferendam Sententiam meam, in qua* (verba ſunt Magni Hipponenſis Epiſcopi Libro 2. de Trinit. in Præfat.) *magis amabo inſpici a rectis, quam timebo morderi a perverſis. Grataanter enim ſuſcipit oculum* (alii habent : *Oſculum*) *columbinum - pulcherrima & modeſtiſſima Charitas : dentem autem Caninum vel evitat cautiſſima humilitas, vel retundit ſolidiſſima veritas, magisque optabo a quolibet reprehendi, quam ſive ab errante, ſive a laudante laudari. Nullus enim reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehenſurus eſt aut amicus? Si ergo inimicus inſultat, ferendus eſt, Amicus autem ſi errat docendus; ſi docet audiendus, laudator autem & errans confirmat errorem. Emendabit ergo me juſtus in miſericordia, & arguet me, Oleum autem peccatoris non impinguabit Caput meum Pſal. 140. v. 5.* hucusque Auguſtinus.

Erunt fortaſſe in Adverſantium mihi turba, qui ſuas, quas cum ipſo lacte ſuxerunt, narratiunculas utut abſurdas ſine impietatis crimine explodi poſſe negabunt, cum his nullum habere volo negotium. Erunt etiam in illa antiquo more Litterati, qui concoquere nequibunt multa alios ſcire, quæ ipſi ignorant vel quia :

Nil

Nil rectum, nisi quod placuit sibi ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Ut sapienter monet Flaccus Lib. 2. Ep. 2. Hos ego, ut Amicos, & Viros Optimos rogo, priusquam hanc disquisitionem meam damnent, prius illam totam legendo absolvant, paratique sint omni seposito præjudicio Veritati agnitæ præbere manum, quam tantopere dilexit Augustinus, totque annis laboravit, ut illam inveniret. Libenter singulis Dominicis Sermonibus ad populum *Mediolanensem ab Ambrosio* habitis intererat, quia ille Verbum Veritatis recte tractabat l. 6. Conf. c. 3. Non moror illos, qui Sanctos Cœlites effictis celebrari encomiis patienti aure sustinent, nec hiscere contra audent etsi sciant, quod primo sacro Oratori ab ineptis Legendariis per nequitiam, dein vero ab ipsomet Oratore Christiano populo per simplicem credulitatem sit illusum. Ego silere non potui in variis occasionibus, ac pro eo, quo in sanctissimum Legislatorem meum cultu ac veneratione feror, a solidis ejusdem præconiis fabulas omnes, fictitia gesta omnia, revelationes ab Ecclesia non approbatas omnes, heteroclitos affectus a sa-

a ſaniori Theologia rejectos, arcendos omnes clamavi, & etiamnum clamo.

Viris doctis aſſurgam lubens ſi locum mihi oſtendant in tot Auguſtini Voluminibus qui vexatum illius affectum: *Si tu Deus Auguſtinus eſſes &c.* contineat, ſi extra S. Doctoris cellam ad certi cujusdam maris littus cæleſtem illum puerum digito oſtendant; felices nominabo illos ſi ex S. Proſperi Lucubrationibus verba illa mihi excerpant, quibus docuit Chriſtum Auguſtino apparuiſſe in forma peregrini, eique ſuam commendaſſe Eccleſiam. Si ex Authenticis monumentis, quæ hactenus graviſſimi Scriptores ignorarunt Sigisbertum ſeu Lugdunenſem, ſeu Lurudunenſem Epiſcopum ejusque Acta vera ac indubia detexerint, facile perſuaderi me patiar improbabile non eſſe Cor Auguſtini manſiſſe incorruptum. Mariani autem Roſarii globulos a ſancto Auguſtino, ut prætenditur, uſurpatos nec in cubiculo Alani de Rupe, ſi centies reviviſcat, invenient. Si tamen in hæc aut alia antiqua plurium Sæculorum veſtigia inciderint, & contra me Mundo erudito palam faciant, omnem ipſis debebo & habebo gratiam, ac paratus ſum non unum Retractationis Libellum ſcribere. Sed quid debebo illis, qui poſt lectam hanc meam disquiſitionem criticam

novam

novam ſe nactos eſſe credent me calumniandi, & graviſſimis injuriis onerandi juſtiſſimam occaſionem ? His omnem dabo veniam. Nullatenus me ulciſcar. Inhumanum verbum eſt *Ultio*, & a contumelia non differt niſi Ordine. Ita ſentit Seneca ethnicus Lib. 22. de Ira cap. 32.

Semper & infirmi eſt animi, exiguique voluptas
Ultio continuè ſic collige, quòd vindicta
Nemo magis gaudet, quàm *fœmina.*

Ita Juvenalis Sat. 13. Multa ſuſtinere etiam Auguſtinus debuit a Circumcellionibus, a Manichæis, & Donatiſtis rabie contra ipſum furentibus. Habuit calumniatores Fauſtos, Fortunatos, ac Petilianos. At contempſit injurias omnes ſibi illatas ut fidei cauſam tueatur, contemnam & ego ut cauſam tuear veritatis. *Noli conviciis*, monet me SS. Legislator, *repellere conviciantem : loqui vis contra illum, loquere Deo pro illo.* Sermon. 35. de Laude pacis, inter Sermon. a Sirmondo vulgatos. Exemplo etiam moveor Pii, hujus nominis V. Romani Pontificis. Ediderat unus aliquis contra piiſſimum hunc Chriſti in terris Vicarium Libellum famoſum, & vel maxime probroſum; Calumniatorem ad ſe adduci

juſſit, tum viam aperuit, ut parcere poſſet: *Hæc credo*, inquiens, *non in Pontificem Chriſti Vicarium, ſed in Fratrem Michaelem ſcripſiſti* (hoc enim nomine gaudebat cum adhuc in Religioſa degeret familia) ita factum eſſe altero annuente, dimitti juſſit, monitum tamen, ut abſtineret exinde maledica lingua, & virulento calamo. Surius Comment. Rerum in Orbe Geſt. pag. 820. & in Vita. Moveor tamen magis Exemplo JEſu Chriſti qui pro Crucifixoribus ſuis in cruce pendens æternum ſuum Patrem rogavit: *Pater ignoſce illis; neſciunt enim quid faciunt. Ego*, vox Dilecti eſt apud Venerabilem noſtrum Thomam de Kempis Lib. III. de J. C. cap. 46. num. 3. *ſum Judex & cognitor omnium Secretorum: Ego ſcio, qualiter res acta eſt, ego injuriantem novi & ſuſtinentem. A me exiit verbum iſtud, me permittente hoc accidit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Ego reum, & innocentem judicabo occulto judicio utrumque ante probare volui. Vale.*

FINIS.

PANE-

PANEGYRICUS
MAGNO ECCLESIÆ DOCTORI
S. AUGUSTINO
DICTUS

AB
REVERENDISSIMO AC ILLUSTRISSIMO
D. SPIRITU FLECHIERIO
EPISCOPO NEMAUSENSI
ET
Abbatiæ S. Severini Cann. Regg.
Sancti Augustini Diœcesis Pictav.
Abbate Commendatario
Ex
Idiomate Gallico
In Linguam Latinam translatus
Ab
A. R. D. G. T. D. W. U.

PANEGYRICUS
Magno Ecclesiæ Doctori
AUGUSTINO

Dictus ab Reverendissimo ac Illustrissimo Domino Spiritu Flechierio.

EXORDIUM.

Virtutem docere & non colere philosophica est vanitas; Virtutem colere & non docere laude digna est, infœcunda tamen & absque semente pietas; Virtutem simul docere, simul colere hæc denique absoluta magnitudo est, Perfectioque Sanctorum. A duplici hoc geniali temperamento Ecclesia incrementum suum accepit. Non poterant gentes non consentire validis eorum Virorum persuasionibus, qui doctrinas suas transfundebant in exempla, quique documenta Veritatis patefacientes, comprobabant ipsi, ea in Opus dari posse, ac traduci in mores.

Equi-

Equidem haud ignoro, Doctorum suorum lucubrationibus Veritatem nequaquam inniti. Per quoscunque ductus fontes transmittat suos, perennis semper manat & sordium expers. Fuerit ergo, qui eam annunciat, sive improbus, sive sanctus; ipsa tamen, ut eadem semper gaudet puritate, ita semper auditoribus videri debet eadem digna veneratione. Quisquis autem salutaribus præceptis authoritatem adjungit exemplorum, &, quos Sapientiæ ac Justitiæ semitas docet, eosdem in cognitionem atque in servitutem adducit Dei; id quod Regno JEsu Christi saluberrimum Opus est: illi Dominus in Regno Cœlorum Coronam præparat longe præcellentiorem.

Atque ad Coronam tantæ honestatis dignius accipiendam ecquis præ Magno Augustino Merita collegit ampliora? qui in Ecclesiam non minora intulit exempla Virtutum, quam lumina documentorum? Qui fidelem populum ad sectandam fidem moresque, fidei præceptis conformandos, auxiliis maximis juvit.

PROPOSITIO.

Erat *Doctor Veritatis, & Christianæ Pietatis Exemplum*, cumque illius & Opera & Verba eodem animarentur spiritu;

DIVI-

DIVISIO.

I. Docebat Veritatem & obſequebatur Veritati.

II. Docebat Humilitatem & vaçabat Humilitati.

III. Docebat Charitatem & deditus erat ardentiſſimæ Charitati.

Hoc Auguſtinianæ Laudis compendium; quam meo ſermone ut aut aſſequar, aut exæquem, nec optare quidem auſim; ſed potius totum Orationis meæ fructum exiſtimem, Auguſtinianam Laudem Oratione aſſequi non potuiſſe. Felicem me, ſi Virtutum, quas prædico, qualicunque vos cognitione, deſiderioque eas imitandi impertiri valeam! quam gratiam a ſpiritu Sancto precibus ego non meis, ſed Beatiſſimæ Virginis ſuppliciter contendo. Ave Maria!

PARS I.

Ante humani Generis corruptionem Perfectio Hominis duo complectebatur capita, *Juſtitiam* & *Veritatem*. Intellectum ejus illuſtrabat Veritas; Operationes ejus ratione diſponebat Juſtitia. Officiorum ſuorum intelligentiam animis illius Veritas aperiebat; ea adimplendi fortunata propenſio ab Juſtitia inſere-

inſerebatur. Itaque nec intellectum obſcurabat error, nec voluntatem oppugnabat cupiditas; &, quoniam veri Boni apud ipſum erat & firma cognitio, & amor firmus: quod plane cognoſcebat, non poterat ſequi non volens. Atque hanc ad imaginem, ut Apoſtolus *Epheſ.* *4. 24.* Ait, *novus homo creatus eſt in Juſtitia & Sanctitate Veritatis.* Quodſi ergo definitum habemus, hominis Chriſtiani Perfectionem in his duobus ceu cardinibus verſari, ut cognoſcat Veritatem, quæ vera eſt Sapientia, & ut diligat Veritatem, quæ vera eſt Juſtitia: Omiſſis ejus olim lapſibus, Cardines hos in Auguſtino Sancto contemplemur, eosdem in eodem.

Inſtruxerat Deus Auguſtinum intelligendi facultate peracri, pervadente & comprehendente univerſa. Nihil erat humanis in diſciplinis tam arduum, quo ejus non eluctabatur ingens ſpiritus: Nihil tam obſcurum, quod ejus vigor ingenii, ipſæque rerum notiones non penetrabant: Nihil tam confuſum, quod ſua non exemit confuſione. Antevertebat difficultatibus, ſuisque in principiis rerum pervidebat conſecutiones: Simul docens, ſimul diſcens, ſola meditatione & lectione ſola comprehendebat, quæcunque Philoſophi erant Intellectui cruciando magis, quam inſtruendo commentati

mentati. Sciendi cupidini, qua ſtimulabatur, placandæ nec mora opus erat, nec moleſtia. Minus ſufficiebant Diſciplinæ univerſæ Auguſtiniano ingenio, quam Auguſtinianum ingenium Diſciplinis univerſis. Quas cum tanta facilitate addiſceret, non didiciſſe eas credidiſſes, ſed inveniſſe.

Tua, ſumme Deus, cujus manu ſortes verſantur hominum, ipſique ad deſtinatos Providentiæ tuæ fines per ignotas ducuntur vias! tua factum eſt voluntate; ut Auguſtinus Diſciplinis impleretur profanis, ſacros quondam convertendis in uſus. In ſervitutem ethnicæ vanitatis redacta facultas dicendi & concludendi, conſtitueras, ut aſſerta in libertatem ab eo ad propugnandam veritatem tuam, tuarumque Scripturarum explanationem atque commentationem transportaretur. Alienis hiſce in viridariis legebat, quos tua ſubinde in ſerta necteret, flores: Ditatum volebas Ægypti ſpoliis, quæ hominis induſtria non ignorabas comportari, ut aliquando conſecraret tibi, & novi Tabernaculo Fœderis ornamentum daret.

Propenſiones animi ex æquo reſpondebant ampliſſimæ ejus intellectioni, ipſeque genius, præclarus ſane, idoneum reddebant tum adipiſcendæ, tum poſſidendæ

dendæ ſapientiæ. Jam illa officiorum ſuorum quorumque ſollicitudo, illa decernendi æquitas, illa in colendis amicitiis fides, illa proborum hominum æſtimatio, illa adverſus calamitoſos pietas, ille privati commodi neglectus, illaque vitæ communi lætificandæ accommodata Voluntas a primis temporibus ætatis manifeſtabant, naturalis Juſtitiæ dono copioſiore eſſe inſtructum, atque ut ab animi perſpicacitate ad intelligendam, ſic ab animi bonitate ad diligendam Veritatem comparatum. Dei tamen permiſſione, volentis ipſum aut ad modeſtiam erudire, aut arduos Spiritus ejus complanare, aut naturæ ſuæ imbecillitatem & corruptionem perinde ac neceſſitatem gratiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, de qua tam præclara editurus erat, experimentis cognitam perſpectamque habere: Dei, inquam, permiſſione factum eſt, ut in omne genus diſſolutionum, quas error in intellectu, & prava inclinatio in voluntate gignit, prolaberetur.

Humanarum ſcientiarum inſolente abreptus fiducia, ingeniique ſui vi ſplendidiſſima obcæcatus, humilem Divinorum librorum ſermonem & orationem remiſſam cœpit alta quadam deſpectione intueri. Obtuſior adhuc dum erat oculorum ipſius acies, quam quæ ſub

imaginum velamentis & myſteriorum umbris latentes veritates attingeret. Videbatur vanitati ejus inanis quædam in Philoſophorum ſcriptis elucere dignitas, quæ inornatæ ac modeſtæ Divinorum Codicum Sapientiæ nauſeam afflabat delicato ingenio. Necdum grandia illa effata capiebat, quæ poſtea docuit: dominari in ſcripturis ſanctis ſanctam ſimplicitatem, ut reddantur ſalutares, & ſanctam obſcuritatem, ut reddantur venerabiles: conſentaneum eſſe divinæ Majeſtati, in iis ſua non manifeſtare ſacramenta, divinæ autem bonitati, ſuam in iis aperire voluntatem: quærentes ſuam in iis ſalutem, ipſam, quam non quærerent, invenire ſapientiam; contra vero ad earum lectionem accedentes impellente novitate, in majores impelli ignorantias & caligines: ad earum doctrinas intelligendas ſaluberrimum eſſe, exercere virtutem; & facere, quod jubet, præſentiſſimum auxilium eſſe, ut intelligamus, quod dicit.

Hac ratione cum Auguſtinus puros veritatis derelinquit fontes, juſto Dei judicio, in abyſſum labitur mendaciorum. Qui obtinere a ſemetipſo non poterat, ut Doctrinæ Jeſu Chriſti famularetur, erroribus & volaticis Manichæorum placitis ſe tradebat in ſervitutem.

tem. Duo cum ipſis jam credit eſſe rerum Principia æterna, boni unum, alterum mali: duas quaſi contrarias divinitates, ſibique oppoſitas ex adverſo: duas exiſtere in homine animas, alteram inclinantem ad juſtitiam, ad peccatum perducentem alteram. Legem veterem & Prophetas rejicit: miſſum facit uſum ac poteſtatem voluntatis liberæ, ſibique perſuadet fatalem dari neceſſitatem, quæ voluntates noſtras aut dilectione impellit, aut odio; & quidquid commiſerit flagitiorum, infortunatum propterea ſe quidem gemit, ſimul tamen innoxium reputat, quippe fatali ordini ſuo obſequentem, perſuaſumque, animam ſibi eſſe unam, quæ fertur in bonum, cum in malum defluit altera. *Credebam*, poſt converſionem ſuam ad Deum ait, *credebam, non me ipſum eſſe, qui peccet, ſed naturam alienam, quæ peccaret in me, ego incredulus & ſuperbus gaudebam perſuadere mihi, nunquam me eſſe criminoſum. Offendebam te, nec tuam implorabam miſericordiam, cumque me apud me ipſum purgarem, quod culpas meas in, quem neſcio, fontem a me diverſum conferebam, qui tamen erat in me: ipſe omninò eram cauſa cæcitatis meæ, eratque tanto inſanabilius peccatum meum, quanto me minus reputabam peccatorem.*

Voluntas ejus perinde, ac intellectus vehementer concutiebatur. Quanta desideria! quantæ affectiones! quantæ necessitudines! tabescebat multis annis in sinu voluptatis mersus, nullis afflictæ parentis lacrymis emolliendus, nullis amicorum seu precibus seu rationibus flectendus. Flagellabatur molestiis, quas in plenissimo illecebrarum suarum offendebat amplexu, nec emendabatur. Verum enim quantas de se spes nobis facere non debet peccator, qui veritatem & quærit & diligit? qui, cum se ipsi offert, eam amplectitur? qui, cum ipsum accusat, se ipsum condemnat? Quemadmodum sub sterili aridaque gleba in terræ visceribus latentes auri venas arte detegimus; & fœcundum agri, quamlibet spinis ac tribulis etiamdum cooperti, ingenium certis indiciis cognoscimus; sic fausta quædam extant præsagia, vestigiaque benigni, quo Dominus electas sibi animas dignatur, obtutus, per pravas earum semitas perspicue discurrentia, quorum insignissimum est amor veritatis, & sapientiæ inquisitio.

Talis erat Augustiniani animi in Juventute sua imcomposita dissolutaque compositio. Alebat noscendi numinis desiderium flagrans: conspiciebantur in nocte concubia, qua cingebatur, illius scin-

ſcintillæ ignis, quo eliquanda ejus erat anima, Eccleſiaque illuſtranda univerſa: in Auguſtino vitioſo obſervabatur Auguſtinus a Deo electus. Equidem ſtudioſe conſectabatur mendacium; trahebat tamen hoc abreptum ſtudio fulgor aliquis veritatis ſuas in partes: ferebatur per calles devios, ſed ut ad ſummum bonum perveniendi reperiret viam. Jeſu Chriſti Doctrinam habebat odio, nomen in deliciis: quanquam hoſtis erat Dei, recordabatur tamen ſe eſſe opus Dei. Quoties omnem eo conferebat operam, ut, quibus ſepiebatur, tenebras divideret? quoties præſentis conſcientiæ perſtrictus morſu, oppreſſis conſuetudinum præjudiciis, concepit impetum, cupiditatibus exſolvendi ſe ſuis, iisque faciendi bellum? quoties, cum pars una ſui ad ſuam aſpirabat ſalutem, altera vero in ſuam præceps tendebat perniciem, oculos ſuſtollebat in cœlum, rogaturus inde contra ſe ipſum auxilium?

Atque hoc tandem conſecutus eſt. Illam ego mihi vocem audire videor, quæ mentem, quam aures vehementius percellens imperatoriis illi modis acclamabat: *Tolle, lege!* videor mihi intueri aperientem fatalem librum, in quo ſuam lecturus erat ſententiam. Jam ob oculos meos ſtatuo Paulinis in Epi-

ſtolis legentem mandatum, induendi Dominum Jeſum Chriſtum, & concupiſcentiis renunciandi univerſis. Quanta mutatio! redditur ſibi turbatus animus: diffugiunt tenebræ: ratio perpurgatur: dubiorum nexus explicantur: roboratur fides: diſcipulum veritatis efficiunt hæc Divini, quem Providentia ipſi aſſignarat, verba Præceptoris, qua ratione Reges, excellentiæ ac dignitatis ſuæ cauſa, graviſſima quæque negotia ope primorum miniſtrorum ſuorum pertractant; Auguſtinum ad meliora revocaturus Deus Apoſtoli uſus eſt manu. Tanti viri ſalutem & converſionem illi duxit committendam, cui docendas, & ſaluti initiandas gentes commiſerat univerſas. Expugnandus erat denique inter Patres Eccleſiæ doctiſſimus a doctiſſimo inter Apoſtolos. Æquum erat, ut ab eo, qui præco fuerat gratiæ Jeſu Chriſti, per verbum veritatis gigneretur, qui verbi iſtius defenſor erat futurus: ut hanc partem Apoſtolatus a Paulo in Auguſtinum ceu hæreditatem transmitteret, eumque velut ſpiritus ſui ſucceſſorem, & doctrinæ ſuæ interpretem juberet.

Obliviſcimini deinceps, auditores, de quo verba feci hactenus, Auguſtini *vitioſi*. Novus jam homo eſt, tanto ſuis virtutibus in altum evectus, quanto

vitæ

vitæ ſuæ prævaricationibus nuper depreſſus, aquarum in modum, quæ poſteaquam, tota fontium ſuorum altitudine inferiores, per meatus ſubterraneos deſcenderunt in valles, e clauſtris ſuis prorumpentes cum ſtrepitu enixæ ſurſum aſcendunt, quanto demiſerant ſeſe. Hominem ergo cogitemus, ſemitas Dei ambulantem perpetuo cognitionis & dilectionis incremento, puriſſimasque notiones ab æterna illa ſapientia recipientem impreſſas, quæ animam docet, quid faciat, & facit, ut faciat, quæ ipſam docuit: hominem, a Deo deſtinatum in religionis ſuæ columnam firmiſſimam: hominem, quem Dei ſpiritus intravit, ut eum doceret omnem veritatem, &, pro eo ac videtur, omnem docuit.

Divinis oraculis ſignificatum eſt nobis, ſapientiam eſſe, quæ mundum creavit univerſum: omnes ejus partes digeſſit: omnem ejus ordinem ac motum conſervat. Significatum porro eſt nobis, eandem ſapientiam ante, quam tempora fierent, Eccleſiæ futuræ ſpeciem deſignaſſe animo, imaginem ejus in lege veteri adumbraſſe, eamque fundamentis immobilibus omnipotentiæ ac immutabilis veritatis ſuæ inædificaſſe. Quoniam autem ſpiritus erroris ac mendacii per intervalla in eam illabitur,

taciteque ac furtim immigrat: per intervalla quoque ſtrenuos veritatis fidei ac diſciplinæ defenſores ſuſcitavit Deus, qui adverſus fidei iſtius hoſtes pugnarent cum fortitudine & virtute, cum proſperitate & juſtitia. Cujus quidem defenſorem neminem Auguſtino fuiſſe recte dicimus aut ſtrenuiorem aut proſperiorem; dedit ipſum Deus doctorem delendis hæreſibus univerſis. Ut lux univerſa, quæ primo creationis triduo diffuſa erat ac diſperſa quoquo, die quarta in luminare unum, ſolem, coacta coagmentataque fuit: ita lucem veritatis univerſam, quæ primis Eccleſiæ ſeculis tribus in diverſis doctoribus nitebat diſpertita, in uno dixerim Auguſtinum confluxiſſe.

Dicamne, auditores optimi, adeo ipſum errori fidei & diſciplinæ Manichæorum velamenta quæque detraxiſſe, quaſi qui propterea duntaxat ab iis fuerit deceptus, ut, ne ipſi deciperentur in poſterum, prohiberet? quaſi qui idolo huic genu non poſuerit, niſi, ut mox, quod adorarat, everteret? Dicamne, eum hæreſin Arianorum, hydræ perpetuo renaſcentis inſtar, recenti incremento novatam, funditus tandem extirpaſſe, & olim ab Athanaſiis, Hilariis letalibus vulneribus dilaceratam, fraudibus & technis omnibus diſ-

ſutis disjectisque, ad ultimum mortifero ictu contriviſſe? Dicamne, eum ſuis tum lucubrationibus, tum laboribus, ipſoque vitæ periculo ſchisma, quod furore Donatiſtarum Africanam diſtrahebat Eccleſiam, omni intercluſiſſe progreſſu? Demonſtrationibus vicit, qui aſpernabantur perſuaſiones: repugnantiam eorum apertiſſimis rationibus oſtendit ab obſtinatione proficiſci, & niſi manus darent veritati, indignos eſſe, qui cognoſcerent veritatem? Quodſi tanto arſit fervore hæreſes opprimendi jam natas & graſſantes paſſim; quanta eum incubuiſſe crediderimus diligentia, ne hæreſes naſcerentur & invaleſcerent novæ?

Surrexit ea tempeſtate anglicis e littoribus homo temeritate plenus, ambitioſus oſtentator ſui; ingratum ſe præbens Jeſu Chriſto, & gratiæ ſuæ immemorem; libertatis ac plane ſolutæ facultatis ſuæ cultor ſævus, natus & factus, qui in animos hominum, adulatione amoris proprii & ambitus eorum influeret; parum firmus, qui errori cederet, audax ſatis, qui defenderet, aſtutus ſatis, qui perſuaderet. Talis erat & longe adhuc periculoſior in Regno JESU Chriſti Pelagius. Vita monaſtica, quam profitebatur, ſanctitatis fama, quam ſibi collegerat, auſtera vivendi ratio,

quam fallaciis præstruebat, litterarum commercium, quo hominibus ab sanctitate tum celeberrimis jungebatur, ansam scelesto præbuere, ante differendi errorem, quam quis auderet in eo locum erroris suspicari, cumque speciosa morum suorum integritas, integritatis fidei ac doctrinæ suæ vadimonium plebi sisteret! ea arte venenum temperavit, ut arduum esset ab isto sibi cavere, cum ipsum non esset cognitu non arduum.

Negabat peccatum originale, gratiamque nostris ipsorum subjiciebat meritis: hominem sibi auxiliari ipsum posse affirmabat, & boni perinde ac mali operandi naturali pollere facultate: solam rationem absque cœlesti ope gravissimis quibusque vitæ tentationibus posse resistere: in humana voluntate positam esse, ut aversionem a bono ad malum, ita conversionem a malo ad bonum: animam nostram electionem suam propriam & prædestinationem habere in potestate: bonorum actuum nostrorum originem esse voluntatum nostrarum affectiones & motus, harum autem affectionum & motuum nos ipsos esse originem: tandem apud animos nostros mensuram confertam innocentiæ reperiri, ac veluti naturalem quandam justitiam, quæ mentium nostrarum facultatum

cultates ac vires dirigat, bonum a malo diſcernat, deſideria in nobis bona excitet, atque ſecundum modum & formam naturalis juſtitiæ, actus bonos probet, malos damnet.

Anticipatum videlicet in animis hominum, quos depravare conſtituerat, invenit, & quodammodo præparatum depravationis ſemen. Baſin doctrinæ perverſæ ſubſtruebat Philoſophia, cui exoſum eſt fidei pronunciatum, boni ſupernaturalis operandi facultate nos ſpoliatos eſſe: robore haud paulo ampliore ſepiebat eam humanæ mentis arrogantia, æternæ ſalutis ſuæ ambientis dominium: circumferebat hæc dogmata cor humanum olim jam ſibi impreſſa, emolumentoque illorum ſuffragabatur corrupta natura. Porro cum a Tertulliano quondam dictum eſt, nos omnes naſci hæreticos, quoniam erroris tenebræ naturam ipſam occuparunt diffuſæ; tum jure meritoque majore dictu fas eſſet, nos omnes naſci Pelagianos, quippe quibus primi hominis crimen mentis arrogantiam, amorem proprium, immunitatis ab omni poteſtate appetitionem, virium propriarum fiduciam quaſi florem reliquit hæreditatis. Stupet Africana Eccleſia: rationes meditatur & vias, hæretici ingenii ſobolem primo in ortu extinguendi: coitur in canoni-

cas

cas consultationes ex omni Provincia ; excitantur cœlesti monitu antistites sancti : Augustino negotium datur dimicandi pro Gratia, & Israelis castra a superbi gigantis istius opprobrio liberandi.

Et jam, ceu alter David, in arenam descendit Augustinus: scribit: pugnat: aggreditur: defendit: respondet: interrogat. Passim hostis obteritur; veritas triumphat, ingenii solertiis universis, Philosophiæ subtilitatibus universis, Eloquentiæ industriis & artibus universis, blandimentis arrogantiæ, & lenociniis naturæ universis opponit vim cogitandi sublimem, rationem eliquatam, indolem ingenii præclaram & cultam, orationem fortem, modestiam largam, suavitatem copiosam. Auditur cum admiratione ab omni Ecclesia. Calamum suum, permultis sectis fatalem, ponit laborum pondere immenso inclinatus Hieronymus: dictum putate, Hieronymum post Augustinum nihil habuisse, quod diceret, reliquum. Quantis difficultatibus obseptum & quasi circumvallatum opus est, explicare sermone, quod sermonem humanum excedit, Mysterium Gratiæ, quæ a JEsu Christo ceu fonte derivatur in fideles, eis vitam impertitur, eos & dignitati suæ & eorum naturæ convenienter, hoc

hoc eſt, efficienter & libere movet! qua ratione ſimul gratiæ adſcribitur victoria, ſimul voluntati humanæ ſua libertas aſſeritur? qua ſuus cuique definite ſtatuitur motus & modus? Tribuenda eſt gratiæ vis invincibilis, quæ tamen violenta non ſit: tribuenda eſt libertati humanæ conſenſio, quæ tamen coacta non ſit. Cœli terræque ſic componenda ſunt jura, ut dentur Deo, quæ ſunt Dei, nec homini aufferantur, quæ ei relinquuntur a Deo. Unde Paulina illa Exclamatio: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei!* ad Rom. 11. 33. Verum hæ altitudines, hæ divitiæ, hæc ſapientia & ſcientia ſi unquam aut permetiri, aut perveſtigari, aut comprehendi poſſunt, permetietur, perveſtigabit, comprehendet Auguſtinus, haud ſane ſui virtute ingenii, ſed divini perſpicacitate Spiritus, cujus robore pro veritate pugnat, cujus inſtitutione & humilitatem docet, & Humilitati vacat.

PARS II.

Quanquam, auditores optimi, Deo placuit, rudium duntaxat ac ſimplicium miniſtrorum primo adhibita manu fidei ſuæ religionem inſtituere, eoque id conſilio placuit, ut aut ſuam mani-

manifeſtam redderet Omnipotentiam, cùm orbem ipſi totum ſubmittit per operas leviſſimas, maximeque deſpectas; aut ut humili ſtolidaque prædicatione Crucis gentilium Philoſophorum ſuperbiam pudore ſuffunderet; aut ut fidem ſuam oſtenderet non in prudentia, non in ſubtilitate ſermonis eſſe collocatam: ipſos tamen ſapientes & prudentes hujus ſeculi (quoniam nec perſonæ, nec conditionis acceptio eſt apud Deum) ipſos haud quaquam volebat excluſos, videlicet ut in orbem pateret, nihil fidei ſuæ doctrinam continere, quod rationi eſſet adverſum, humanas autem ſcientias non eſſe præparatas, niſi ut Dei ſe ſapientiæ dedant vectigales. Qua autem ratione mentes ſimplicium elevat, eadem ſapientes, jubet, ut ſcientiis illi ſuis charitatem comitem, humilitatem magiſtram adjungant.

Hæc Auguſtini ſancti ſunt documenta, & morum ſuorum præcepta. In cognitionem & amorem Jeſu Chriſti evectus demittebat ſe in primigenium ſui nihilum. Platonicorum in libris legerat: *In principio erat Verbum.* Joan. 1. non legerat: *Verbum Caro factum eſt.* Nullo labore capiebant Philoſophica hæc ingenia, cum Deus ens ſit infinitæ intelligentiæ, ipſum intelligere ſeſe, & intelligendo ſeſe imaginem ſeu Verbum, quod

quod rationem infiniti ſui exæquet, producere; non capiebant autem, non credebant dignitati ſuæ conſentaneum, illud carne mortali, tantisque obnoxium corruptionibus veſtitum efferre foras. Plaebat primum animis cogitantibus acriter; diſplicebat alterum cogitantibus ſuperbe. Novitatis, qua tenebantur, libidini ſatis erat, DEum in Sede luminum ſuorum meditari, abominabile autem elatæ rationi, in obſcuritate contemplari humilitatis. Hac ipſa cæcitate Auguſtinus obruitur. Poſtea vero, quam Verbi divini cum natura humana conjunctionem ſacris e monumentis perdidicit, Charitatis divinæ ſuccendebatur æſtu. Jam velut extra ſe ponitur: eripitur ſibi: omnem rerum creatarum transvehitur latitudinem: in creatoris ſinu beatam facit jacturam ſui. Jam redditus ſibi intra pectoris ſui clauſtra reconditur: altos cogitatus ſuos contrahens in cognitionem ſui deflectit: humilia meditatur & abjecta: ad ſubmiſſiones depreſſionesque amantiſſimi Servatoris ſui deſcendit.

Jam, cum totos animos ejus Magnitudo DEi Majeſtasque tranſcurrit, elevatus in hæc eluctatur ſuſpiria: *Tu ipſa es, quam totus ſuſpiro, Veritas æterna! tu es DEus meus & omnia: quod tu non es, pro me non eſt.* Jam, cum vivido bene-

beneficiorum divinorum ſenſu tenerrime atteritur, in conſpectu carnem induti Numinis depreſſus, exclamat: *Videns te, Domine, miſeriis & infirmitatibus veſtitum, nullus mihi ſufficit mei pudor, nullus tui amor.* Itaque cum absque ſui diviſione DEum inter & DEum dividens jam ſolio ejus adſternitur, jam Cruci ejus adflectit; illo ſuperbiam ſuam ſanat, hac amorem ſuum alit: in medio cordis ſui quaſi fabrefacit rotam flammæ & lucis. Cognitio parit dilectionem, dilectio cognitionem; & ambarum nexus eſt Humilitas. Adorat, quod cognoſcit: amat, quod adorat, & in comparatione ejus, quod adorat & amat, in nihilum liquitur ſui. Hæc Humilitatis ſuæ baſis ac fundamentum.

Hic enimvero locus ſe mihi offerret ampliſſimus, vobis exhibendi Auguſtinum, quomodo divina inſpiratione, tergiverſationibus inſuper habitis, ſacerdotio inauguretur: quomodo, dum inauguratur, tanta dignitate anguſtiorem perſonæ ſuæ modum apud ſemetipſum coarguat: quomodo, ne indignatione DEi, peccata ſua punire decernentis, potius, quam providentia, ad tantam proveheretur dignationem, pertimeſcat: quommodo, quantumlibet ab ſcientiis & virtutibus copioſiſſime inſtructus, ſacerdotium JEſu Chriſti

ineat

ineat majore cum formidine, quam qui illud ineunt & ſcientia & virtute deſtituti: quomodo, cum ad miniſterium Verbi & Sacramentorum JEſu Chriſti vocaretur ſuſcipiendum, ipſe Epiſcopi ſui pietatem, charitatem, æquitatem imploret pro mora & otio, in ſolitudine & ſilentio meditandi commentandique myſteria, quorum ſalutares explicatus in concionem erat prolaturus.

Ecquænam hic illos ſuggillat cogitatio, qui vana, ſtolidaque cupiditate, ut videantur, in muneribus evangelicis oſtentant ſeſe immaturi: qui ægerrime ferunt moram animabus diſpenſandi cibum, ſibi nec rite præmanſum, nec juſta concoctione ſubactum: qui nulla licet intelligentia Scripturarum ſanctarum, nulloque uſu precum inſtructi, ſine fronte prius audent de Deo loqui, quam in ſolitudine loquentem audiunt Deum. quidni Auguſtinum nunc certe vobis exhibeo, quomodo animos gerat a muniis & dignitatibus religioſe alienos? quomodo data opera declinet eccleſias, quarum vacare noverat Pontificias ſedes? quomodo illa præprimis munerum officia onera formidoloſa exiſtimet, quæ collocari in mundanorum honorum numero amant: ambitu minime religioſo quæruntur: in operæ locatæ mercedem

petuntur: ceu diuturnæ fructus tolerantiæ postulantur: sordibus adeo & dedecore sæpenumero comparantur?

Verum contemplandus, charissimi, jam nobis noster est Augustinus in excelsitate. Atque ut integrum feramus de ingenii illius facultate judicium: nosse oportet, in iis, quos ad Ecclesiæ suæ gubernacula vocat, duas requiri dotes: Sapientiam & docilitatem. *Sapientiam* ratione animarum, quæ ipsis sunt commissæ; Docilitatem ratione Dei, a quo ipsi füerunt electi. *Sapientiam*, quoniam, ceu capita populi, non secus agere habent, ac rectores navigiorum, qui gubernaculum tenent manu, in cælo & astris viæ suæ cursum legunt & pensant oculis; *Docilitatem*, quoniam Vicarii sunt divinæ potestatis, quos æquum est mandatis Dei obtemperare coram hominibus hæc ipsos extollit; illa coram Deo deprimit, itaque cum eorum sapientia humilitate dirigitur, humilitas autem Sapientia illustratur, & facere possunt, quod Deus jubet, quia humiles sunt; & imperare aliis, quod faciant, quia sapientes sunt. hæc Augustini nota est, hic character. ecquis majore unquam pollebat intelligentia dirigendi animas, solertiaque majore? ecquis christianæ documenta prudentiæ callebat pulchrius? eccui Deus

Veri-

Veritatis ſuæ lumen largiore admenſus eſt modo?

In tanta autem donorum cœleſtium opulentia ecquis poſſidebat moderationem ac modeſtiam ampliorem? in vita tam celebri ecquis ipſo minus ſibi reſervabat celebritatis? ad munera Eccleſiæ producitur? curas & labores eorum univerſas ſuſcipit, fructus & ornamenta magnificentiæ relinquit. gubernat? id agit, ut ſerviat, non autem ut imperet. ſacram in concionem aſcendit? id agit, non ut plauſum ſibi colligat, ſed ut JEſum Chriſtum ſermonibus exponat. Scribit? id agit, ut religionis Myſteria doceat, non ut aliquam ſibi exiſtimationem adſciſcat. conſulitur? reſpondet ut diſcipulus, qui dubitat, non ut magiſter, qui dubia ſolvit. cauſas controverſas pertractat? id agit, ut veritati affundat lumen haud vero, ut ipſe perfundatur luce victoriæ. invadit hæreticos? hoſtis eſt eorum doctrinæ, non perſonæ: veritatem propugnat, quin charitatem & juſtitiam vulneret. defendit ſeſe? errores eorum refutat, dicteria tolerat. convincit? id agit, ut Eccleſia, non ut ipſe vincat. In omni opere ſuo ea dominatur charitas, quæ non quærit, quæ ſua ſunt, ea Humilitas, quæ nullo inflatur eventu proſpe-

ro, nullamque prætermittit afferendæ ſibi verecundiæ opportunitatem.

Atque hoc demum conſilio effectum eſt, ut Auguſtinus, ſatis gnarus, quam difficile ſit, modum animi ſalvum tenere, neque ſenſim ſine ſenſu mores ſuos remittere: quam præterea juſtum & æquum ſit, revocare, cum ab amuſſi juſtitiæ deflexit, rationem: ut, inquam, adverſus ſemetipſum tribunal conſtitueret. Expendebat ſe ſe auſteri judicis in morem, damnabatque publico & acerbo judicio, quæcunque ſuis in lucubrationibus deprehendiſſe ſibi videbatur falſa, vitioſa, inconſulta. hic ego ſuperba illa & neutiquam flexibilia appello ingenia, quæ quos in forum ſemel edidere ſenſus, nunquam retractant: quæ, ut opiniones ſuæ æternæ ſint, nec lituris obnoxiæ, mallent eas, quod vates ſacer ait, deſcribi in tabulis adamantinis; quæ tandem ut avtocriſeos, ſuique excutiendi amoliantur moleſtiam, ignorantias ſuas & faſtidium ſtylo percutiendi declinent, ſuarum latrevtæ ſcriptionum verentur erraſſe, neque animum habent, ſemetipſos revocandi, neque receptum imperandi ultra modum prævectæ orationi.

A qua vanitate quam disjunctus erat Auguſtinus! ingenio ſuo diffidebat & cognitionibus ſuis. Fratrum ſuorum

con-

conſcientias timebat offendere, ſuaque aut temeritate aut adeo ignoratione eis præbere occaſionem ruinæ. conſtitutum habebat ſemetipſum aut declarare, aut retractare, ut, ſiquo modo non omnem adhibuiſſet circumſpectionem ſapientiæ, certe omnem poſſideret virtutem Humilitatis: atque ſi, quæ ſcripſerat, non perſpexiſſet eſſe ſibi dolenda, ſcriberet ſaltem, ea ſibi dolere. quanto tempore ad opportunum aſpirabat otium! quanto opere incumbebat, ut Pontificio in munere ſucceſſor daretur ſibi, in quem curarum ſuarum partem transfunderet haud alio fine, ac ut huic ſui ipſius judicio opportune poſſet vacare per confeſſionem, humano ingenio tam difficilem, cætera æquam, ſuæque conditioni tam conſentaneam confeſſionem his verborum modis (Dubito; fefelli memet; condemno memet) ſe deprimere, ipſaque retractationis mulcta emendare piacula Intellectus, quemadmodum confeſſionum ſupplicio olim emendaverat piacula & lapſus Juventutis!

Utinam illa me orationis copia bearet lenis & fluens in animos, qua miſeriam inſtituit ſibi ſuam depingere, Liberatoris ſui miſericordiam celebrare, gratiam ſibi datam præconiis efferre, amaris delicta ſua lacrymis deflere! uti-

nam memoriæ veſtræ imprimere valerem ſolertes illos & animum tenentes ſignificatus, qui extremum cæleſtis Beneficentiæ ſenſum, doloremque ſumma Charitate ignitum ab animis ejus prolectabant! ac utinam fas eſſet Confeſſionum ſuarum partem vobis recitare certe nonnullam! ambitione magiſtra didicere filii ſeculi, victoriarum ſuarum monimenta, arcus triumphales, ſignaque laureata excitare, ac ſimul ab arte mutuari immortalitatis, quam natura ipſis negabat, modum, quæ in vita ſua geſſere fortiter ac præclare, incidunt metallis & marmoribus, ſuæque vanitatis typos in eandemque cum metallis & marmoribus transmittunt ætatem. feliciore magiſtra Humilitate Auguſtinus didicit pœnitentiæ ſuæ æternum procurare diem, ipſamque poſt mortem vitæ ſuæ piaculis illacrymari. quanta cum vexatione ad tempora pueritiæ primæ regreditur, ut inter hujus labes ætatis primos effectus, ac velut ipſos mali & peccati partus inquirat! quanto cum dolore in conſpectu totius Eccleſiæ, coram univerſis omnium ſeculorum fidelibus, pravas adoleſcentiæ ſuæ deplorat vias! quanta cum attentione mentis aciem, a natura ipſoque ſpiritu ſancto tam ſubtiliter expolitam, tamque penetrabilem, in angulos ani-

mæ obſcuriſſimos immittit, & ipſas adeo peccati atamos retegit, primam forte perveſtigantis curam prætervectas! quanta cura fontes omnis humani peccati venenatos tres explorat, voluptatis appetentiam, deſiderium ſciendi vagum ac volubile, magnitudinis & gloriæ ſitim, quibus cor ſuum fuerat labefactatum!

Nihil æque peccatori naturaliter inſitum eſt, ac latebras quærere peccato. omnem, Chriſtus ait, *qui male agit, odiſſe lucem, & non venire ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Joan. 3. 20. peccare non erubeſcimus, erubeſcimus autem, quæ peccavimus, confiteri. animæ noſtræ ulcera tantum abeſt ut verecunde ac ſubmiſſe detegamus coram Deo & Vicariis Dei; ut adeo ulcus adjungamus novum, ſuperbiam, perſtudioſam ſane, ut ea occultet, tum maxime, cum magna floremus copioſaque dignitate, in qua publicæ utilitatis ergo præclaro nobis nomine videtur opus eſſe. unde improba illa diligentia abſcondendi, quod ſumus, & quod non ſumus, effingendi foris; illa circumſpectio, qua cavemus hand ſane, peccatores ne ſimus, ſed peccatores ne reputemur; illa dexteritas, actutum delicatam ſui ſpeciem expingendi, ipſosque ante arcani judicis pedes facta

 ſua

ſua eximendi culpæ; illa levitas, juſtitiam & charitatem, ſi modo formam quandam probitatis retineamus, violandi, illæ denique ſimulationes, quarum nobis veniam damus, ut habeamur in adminiſtrandis muneribus & mandatorum diligentia fideliores.

Procul ab Auguſtino hoc circumſpectionum, hoc larvarum & pigmentorum genus. Ipſe epiſcopus, idemque cavillationibus & calumniis invidorum, ſibique adverſantium hæreticorum expoſitus, ſponte ac voluntate manifeſtat tum prolapſiones ſuas ac cogitata devia, cum maxime peccata ſua eaque potiſſimam partem gravia, libidinoſo ſenſu nata, quæ humana alioquin verecundia tam vigilanter ab omni amolitur cognitione. ut fides, ſic Humilitas nec meticuloſa eſt, nec in commentationes moroſas laxatur: ridet circumſpectionem ab arrogantia, quam prudentia magis profectam. Deum non hominem reſpicit. Auguſtino hujusce Virtutis rationes erant perſpectæ. ergo ſibimet ipſe perſuaſit, nihil in pœnitentia reſidere, quod ſacerdotio futurum ſit deſpicatui; ad promovendam Eccleſiæ diſciplinam plus allaturum ſpecimen modeſtiæ ad ima demiſſæ, quam fama vitæ ante baptiſmum bene compoſitæ afferre potuiſſet, nec vituperationis

tionis quidquam mereri, qui nomen ſuum non obtereret, niſi ut divino Nomini ſua conſtaret gloria, virtusque illuſtraretur omnia potentis ſuæ gratiæ, quo majoribus tenebris, vanitatibus, & vitiis ſe depingeret obſcuratum.

At! at! Non ſubmittitur animo propter peccata duntaxat, quæ commiſit: deprimit ſeſe propter ipſam adeo gratiam, quam accepit. quemadmodum improbitas quædam eſt obcæcati animi, ſupra id, quod quis per gratiam JEſu Chriſti eſt, efferre ſeſe. ita ſubmiſſæ Mentis pars una eſt, notitiam mali, quod in ipſa ſedet, omnibus aperire; pars vero altera, eo conferre diligentiam, ut bonum, quod datum ipſi eſt, ab omnibus Deo perpetua cum gratiarum actione feratur acceptum, & mundus fateatur univerſus, omne donum perfectum deſurſum eſſe, & a Patre luminum deſcendere. Hoc fidei ſcitum ante hoc tempus nemo Doctorum copioſius docuit, nemo Chriſtianorum Auguſtino copioſius explevit. Nunc laude cumulatus hominum, ſibique incenſos odores referens in Deum, altero tanto ſe deprimit, dum aut Bonum cogitat, quod ipſi tribuitur, in ipſo tamen non eſt; aut memorem exhortatur animum, Bonum videns, quod in ipſo eſt, non tamen ab ipſo eſt.

Nunc Spiritu ſpiritui ſuo reddente teſtimonium, ſe eſſe Filium Dei, memor autem, ſe fuiſſe inimicum Dei, ſacrificium laudis ſacrificio pro peccato copulatum offert una. nunc ſancto amore, quem voce percipit, corde validius perſentiſcit, abreptus, quidquid rerum creatarum eſt, invitat, unum in locum compellat, magnalia Dei narrare jubet, & celebrare cantu; cumque laus humana quævis cancellos ſuos habeat, gratia autem, quam Deus ipſi exhibuit, fines ignoret: tandem Ens hoc ſummum rogat, laude, quantam meretur, ſe ipſum ornet. paucis: charitatem docet, & deditus eſt ardentiſſimæ Charitati. Hoc poſtremum orationis meæ momentum.

PARS III.

Ad colendam Religionem nulla re homines oporteret perinde incendi ac perceptione intelligentiaque Myſteriorum Religionis. Veritatis hoc proprium eſt, ut, quo magis patet, placeat magis. ægre fit, quin e divino Magnitudinis conſideratione non inferatur, quem debemus Deo, famulatus; quin animus rem tantæ dignitatis objectam ſentiens excitetur induſtria, eum poſſidendi per amorem, quem quæſivit per cognitionem. At nimium ſæpe accidit, ut

ut amor inter frigidas aridasque meditationes intercluſo velut ſpiritu extinguatur: ut ſciendi cupiditas nervos fidei ſuccidat; ut quod eſſe deberet perquiſitio, in diverſum raptæ mentis ſit diſſipatio; ut frequens etiam Myſteriorum divinorum cogitatio, ſermonis habendi ergo ſuſcepta, eorum pene omni ſenſu nos privet; tardisque animis callum, telo Charitatis impervium ea denique res ipſa obducat, quæ charitatem noſtram maxime omnium promeretur, ac ipſiſſimæ Servatoris noſtri charitati argumento eſt omnium maximo.

Tam iniquo uſu facultatem intellectus ſui ut Auguſtinus corrumperet, proh quantum abeſt! Nihil ſimplicitati ejus, nihil charitatis ardori ſæpenumero ſcientiæ, quæ cor hominum inflant, nunquam implent, decerpſere. Tantam diſciplinarum copiam, dotesque religioſas tanto numero ſibi haud ſane alio comparavit fine, ac ut ſe ipſum ſanctimonia excoleret, Eccleſiam univerſam litteris & moribus fulciret. Germano utebatur magiſtro Spiritu ſancto. Scientiam Sanctorum ab eo docebatur, quam homo diſcit potius ſenſu cordis guſtare, quam viribus mentis comprehendere: quæ nos in Veritatem & Veritatem in nos ducens efficit, ut ipſa ſit tota in nobis, & nos

toti in ipſa. Legant modo, id ſiqui dubitant, Auguſtini monumenta. Prodent legentibus ardoris non minus, quam lucis, unctionis non minus, quam rationis. Non ſunt humani duntaxat ingenii ſolertiæ; vigiliæ imo ſunt, pietatis induſtria caſtigatæ animæ, quæ pulcherrime ſimul docent & movent; ſimul illuminant & accendunt. Penſate, quæ ſcripſit, vera æſtimatione. Obviam ſe paſſim ferent grandia hæc effata: Chriſtiani officia in Dilectionem Dei, velut in centrum myſticum dirigi, in eoque coëuntia uniri: univerſam legem meram eſſe Charitatem, nec illi implendæ opus eſſe niſi Charitate: Deum, ceu Summum illud bonum, cujus poſſeſſione ſola beati eſſe poſſumus, omnium deſideriorum noſtrorum normam, actionumque noſtrarum omnium finem eſſe oportere, adeoque negotium unicum fideli animæ tuendum eſſe, videlicet grave pondus deſideriorum imminuere, ut prævaleat charitas, cum per illa diſpliceamus Deo, per hanc ſolam ſerviamus Deo.

Pervidete omnem, quam inde a primo ad bonam frugem receptu ſuo degebat, vitam; ſentietis profecto, cor iſtud natura magnum & excelſum non alios præter ipſum Deum fines habere, non alio niſi ejus unius amore ſatiari

po-

potuisse. Creata omnia, quamquam bona sunt omnia, sibi tamen æstimabat non esse bona, quippe quæ dilectionis divinæ, cui se semel tradidisset, cursum poterant interpolare. Novam vitam cupiebat auspicari posse, diesque præteritos referri sibi, ut momenta eorum singula motu quodam Charitatis valeret distinguere, notaque dilectionis insignire. Quam acerbe dolebat, Deum tam sero amasse, æquo minus fortiter amasse! Nihil vereor, charissimi, ne vobis pariat satietatem vox iterata toties. Ea ipsa vox est, quam orationis nostræ argumentum, Augustinus, nunquam enunciare, nunquam audire poterat satis. Res creatæ omnes ipsi videbantur sua quæque lingua, quantumvis muta, percipienda tamen, exhortari, ut earum creatorem amaret, & suum. Hortabatur eas ipse mutuo: congregarent se se, & magnitudinem Dei laudarent, qui ipsas fecit, quique id ipsum dilectione ac omnipotentia sua conservat, quod ipsas fecit.

Atque ex his animi sui affectibus omnibus subnata grandis illa fiducia est, quacum Deum allocutus: *scio*, inquit, *quod difficile est, abdita cordis sui nosse: quod nemo scire potest, an vas sit in honorem, an in contumeliam, odione an amore re dignus sit. Sed postquam animum meum*

explo-

exploravi ; ſentio , Domine , quod amem te , nec amplius poſſum dubitare. Amor meus non eſt ſervilis, ſpes mea non eſt mercenaria. Dele infernum: timeo ſolum, quia amo. Dele paradiſum: gaudium meum, ſpes mea, felicitas mea non conſiſtit. niſi in amore.

Et vero pulcherrimum Amoris iſtius argumentum in labore ſitum eſt. Deum non amari ſi qua res, certe illa animi fluctuatio ſuſpenſioque palam oſtendit, in qua plerique homines ſumus, cum de agendo bono decernendum eſt. Legem reputamus ſævum mancipatum, cumque nullos, qui nos excitarent, perſentiſcamus Religionis ſtimulos, periculoſo indormiſcimus otio, quasque nobis ipſi libere impoſuimus, neceſſitudines in cruciatus & calamitates vitæ noſtræ conteximus. Hoc loco res Auguſtini erant perdiu. At ſimul dulcedinem divinæ Charitatis ſenſit ? ſimul viſus eſt omni carere ſenſu difficultatis. Caſtitas, nuper jugum viſa intolerabile, nunc Virtus ipſi eſt ceu a parente Natura profecta. Evaneſcebat quaſi ſeipſa illecebrarum ſeculi imago rudis. Defluebant, quibus voluntas erat adſtricta, catenæ vix moto brachio. Miteſcebat, ſub quo gemuerat, divinæ Legis jugum, nil nominis retinens ſui. Religioſum ejus ardorem, nihil uspiam, nihil

nihil unquam erat, quod exhauriret. Balbutiebat cum parvulis: ratiocinabatur cum doctis: seminabat, idque persæpe citra spem messis: famulabatur ingratis: persuadebat duris & ferreis: damnabat barbaros: liberalem denique in Dei & Ecclesiæ obsequium faciebat quietis ac solitudinis tantopere dilectæ dispenditionem.

Modo Neophytos & recens ad Ecclesiam traductos hortabatur perseverare in puritatis, quam cum sospitalibus aquis acceperant infusam, gratia: modo Clericos a se in cœtum unum collectos instituens, hausta divinis e fontibus imbuit Doctrina & Sapientia. Modo vocatis ad sequenda sanctiora Evangelii Consilia præfiniebat stabilem vivendi rationem, electasque JEsu Christi Sponsas, Virgines, in mundas nitidasque Christianæ Puritatis dirigebat vias. Numquid erroris ac hæresis sua ætate natum est, quod non extirpavit? numquid dubiæ quæstionis, cujus arbiter datus non fuit? Numquid Catholicæ Veritatis, quæ oppugnata ipsum defensorem non habuit? Numquid adversus Ecclesiam Persecutionis in cujus partem ac societatem non venit? Numquid prosperæ adversus fidei hostes pugnæ aut victoriæ, cujus laudes & adoreas primas non tulit? quæ quis

quis argumenta eſſe charitatis ardentiſſimæ, nullisque vexationibus exhauriendæ?

Hæc tanto numero geſta, tantaque cum gloria, pauca nimis Auguſtino videbantur, humiliaque. Conſtitutum habebat divinus Heros immori Charitatis exercitationibus. Neque ſane hujusmodi conſilii fructus in populum ſuum edendi prætermiſit triſtem quantumlibet opportunitatem. Revocate, chariſſimi, in memoriam illorum calamitatem temporum, cum barbarorum incurſio, diſtracta Cæſarum potentia, ſummorum Miniſtrorum ambitio & invidia, atque ut, qua Chriſtianum decet, voce loquar, Dei, peccata populorum caſtigantis, Juſtitia Romanum Imperium pene ad extremam perniciem deduxerant. Miſerrimorum, in quibus ſtupendæ illius converſiones inclinationesque explicabantur, theatrorum unum erat Africa, qui Provinciæ huic ſumma cum poteſtate præerat, adverſus inimicorum ſuorum criminationes, ſuorumque Dominorum opiniones præventas & anteverſas innocentiam ſuam defendere mala ſorte compulſus, vocatis, ut tueri fidem ſuam poſſet, in auxilium Wandalis, ſalutem deſperaverat, ad ultimum vero, ut vel aliquid authoritatis, honoris, ac fortunæ retineret,

tineret, atroci perfidia & Provinciam & ipſam fidei Religionem deſeruerat.

Nolim hoc ego loco animos veſtros percellere fœda crudelitatis Barbarorum iſtorum imagine deſcripta, quippe hominum, nec dignitatem Sacerdotii, nec authoritatem Nobilitatis, nec ruinam ſenectutis, nec verecundiam ſexus infirmioris reverentium. Igne ferroque vaſtatis Regionibus, Epiſcopalem Sedem, Hipponem Regium, obſidione cinxerunt. Hujus oppidi mœnibus ſe Auguſtinus crediderat, auxilium obſeſſis, & ſolatium futurus. Perſuaſum habebat ſibi, boni paſtoris eſſe, ſuo cum populo vivere & mori; a Deo non inventum in ſtatione, in qua collocatus fuiſſet a Deo, transfugam haberi coram Deo, &, qui gregem deſtituerit, mercenarium; Epiſcopum, quam Imperatorem, magis oportere ſtantem, ipſaque in officii ſui functione mori. Quoties cælo tetendit manus, cum ſuis e mœnibus pugnaret Iſraël! quoties, cum civem in culpas ſuas magis, quam in hoſtes ſuos accenderet! cum magis pro animarum præſidio, quam pro munimenti propugnaculis ſtaret? cum mundi caſus & eventus rerum doceret fidei ex ſenſu apud animum ſuum reputare, & in calamitate, quam patiebantur, Dei ferientis

juſtitiam agnoſcere! quoties, cum monita doloris ac pœnitentiæ ſuggereret! quoties, cum extremas vitæ ſuæ reliquias Domino offerens, eum precaretur, aut fatigatam animam ſuam confirmaret, ne ſimul cum ipſa tot infortunatis ſubtraheretur ſolatium, aut ſe ex hoc ſeculo nequam aufferret, ne gentis ſuæ ruinam aſpiceret! hoc pacto moriebatur Auguſtinus, poſt labores & virtutes longa ſerie contextas, ætate confectus, ſatur vitæ, plenus meritis, in ſinu pœnitentiæ, in penſo charitatis.

Quam bene nobis eſſet, Chariſſimi, ſi Auguſtiniana illa vox re ipſa & vere noſtra foret: O Deus ego amo te? hoc eſt Chriſtianorum munus unum, hæc eſt occupatio Sanctorum una, hæc eſt vita æterna, ut cognoſcamus & diligamus Deum. Eſtne vero hoc diligere Deum, cum veritatibus divinis habetur morbida & remiſſa fides? cum Verbo divino auris præbetur neutrò affecta & parata? cum Voluntati Divinæ ſegniter obeditur? eſtne hoc diligere Deum, cum Deum inter & Mundum cor dividitur? vita partim chriſtiana, partim gentilis vivitur? vanis & ambitioſis cogitationibus animus impletur? è bonis perituris, quæ poſſidentur, mens habetur ſuſpenſa; æterna

vero,

vero, quæ ſperantur, habentur penſi? denique eſtne hoc diligere Deum, cum, quas immittit permittitve, rebus adverſis ſtomachus obvertitur, quaſi jure quodam oporteat vitam noſtram eſſe longum rerum ſecundarum absque mali interpolatione curſum, & quaſi data nobis ſit immunitas, quo minus imagini JEſu Chriſti conformes debeamus fieri, eumque in ferenda cruce ſequi?

EPILOGUS.

Sequamur documenta, & Sancti Doctoris noſtri exempla! quem in modum Cor ejus penicillis exprimitur, ob oculos ponamus, videamusque, quo flagret igne! flagrat, aſt quibus ſucceuſum flammis? Ambitionis? odii? avaritiæ; cupiditatum iſtarum una, pluribusve Cor Auguſtini conſumptum eſt? Par eſt, nunquid, profanos hoſce ut extinguamus ignes? quantum abjuncti ab illo ſumus igne, quem JEſus Chriſtus in Mundum venerat, ut accenderet? dicemus videlicet: nos eſſe fragiles, tentationes noſtras acres, neceſſitudines pertinaces: vires non ſuppetere, quibus fragilitatem ſuperemus, tentationibus reſiſtamus: nexus conſuetudinum & neceſſitudinum noſtrarum rumpamus. Levioresne, quam nos, diffi-

difficultates occupabant Auguſtinum? leviorane, quam ipſius, noſtra ſunt, quibus juvamur, auxilia? nunquid gratia vires ſuas demutat? illa, inquam, gratia, quæ Auguſtinum efficiebat tam modeſtum in Summa nominis celebritate? tam verecundum in formoſiſſima doctrinarum luce? tam conſideratum in maximo Religionis fervore? tam conſtantem in tot, tantisque adverſis? tam confirmatum in extremis diſcriminibus? tam ſapientem in arduis caſibus? tam inexſuperabilem in aſſiduis laboribus? tam patientem ac lenem in acerbis contumeliis? Hæc ipſa gratia, modo ducentem velimus ſequi, nobis perſuadere non valeat in mediocri fama & authoritate, qua pollemus, modeſtiam? in tentationibus, quæ non niſi paululum vexant, conſtantiam? in ærumna vitæ exigua Sapientiam? in caſibus tenendæ æquabilitati opportunis patientiam? in peccatorum, quæ nos premunt, obtutu pœnitentiam? Agite! Magni Patris Auguſtini legamus veſtigia! cæleſti, quæ nos vocat, obtemperemus linguæ! nutriamur ejus Doctrinis! imitemur virtutes! connitamur promereri gloriam, qua in æternitatis perfruitur ſinu; qua ut & vobis aliquando concedatur frui, exopto in Nomine Patris & filii & Spiritus Sancti. Amen.

FINIS.

Errata notabiliora.

Pag. 10. in not. (i) tam ſtupida. leg. non tam ſtupida. Pag. 15. Revalabat. leg. revelebat. Pag. 42. liguæ gracæ. leg. linguæ græcæ. Pag. 58. Eemeritus. leg. Emeritus. Pag. 64. in Not. (q) emandare. leg. emendare. Pag. 65. in Not. (r) Vearb. leg. Verba. Pag. 68. indagabant. leg. indagabunt. Pag. 92. in Not. Ocum. leg. locum. Pag. 93. in Not. Ad leg. At. ibid. fallitat. leg. fallitur. Pag. 104. in Not. (t) groviores. leg. graviores. Pag. 106. Ad. leg. At. ibid. perniteat. leg. pertineat. P. 107. in Not. Ubi. leg. Uti. Pag. 129. Not. (n) cut. lege. aut. Pag. 135. nam fugiant. lege. Nam qui fugiunt. Pag. 144. in Not. Exmeplum. leg. Exemplum. Pag. 147. deſeratur. leg. deſerantur. Pag. 156. Sepulſus. lege. Sepultus. Pag. 188. *iisque*. leg. *iis*. Pag. 299. operii. lege operarii. Pag. 306. Comentarii. adde. ad Galatas. Pag. 321. reſiduis. leg. reſiduis ex. Pag. 192. Colliquitur. leg. colloquitur. 195. Sublimiſſimi. leg. Sublimiſſimæ. Pag. 199. mones. lege moneo. Ibid. qui lancillotus lege quæ Lancillotus. Pag. 201. *aarnis*. leg. *carnis*. ibid. *mutabis*. leg. *mutaberis*. Pag. 204. multisque Necterici. leg. multique Neoterici. Pag. 211. vedere. leg. videre. Pag. 212. in Urbanitate. leg. inurbanitate. Pag. 216. illum. leg. illam.

Pag.

Pag. 217. efluxit. leg. effluxit. ibid. Stozianus. leg. Strozianus. ibid. Appullimus. leg. Appulimus! Pag. 220. Italicæ. leg. Italicê. Pag. 227. VIATOX. lege VIATOR. in hac Inſcriptione omnia Commata deleantur. Pag. 228. De. leg. Deo. ibid. cogrita. leg. cognita. Pag. 229. profuſús ſum lætitiæ. leg. perfuſus ſum lætitia. Pag. 230. *prærepto*. leg. *præreptos*. ibid. *interruptum*. leg. *interruptam*. Pag. 231. profecta. leg. profecto. Pag. 236. ſtabilientis. leg. ſtabiliendis. Pag. 237. Spiritum lege Spirituum. ibidem momentem. leg. monentem. ibid. aliquod. leg. aliquot. Pag. 245. & eam in Menologio lege in menologio. ibid. reliquo. leg. relinquo. Pag. 247. Rama. leg. Roma. Pag. 248. ſubſiſtere. leg. ſubſiſteret. ibid. in illa Pauli. leg. in illa verba Pauli. Pag. 250. certi. leg. certe. Pag. 257. videret. leg. videre. Pag. 258. quod. leg. quot. Pag. 260. horum. adde locum. Pag. 267. nec vera. leg. revera. Pag. 272. num. leg. nunc. Pag. 358. quæumſus. leg. quæſumus. Pag. 365. Suppenſo. leg. Suſpenſo. Pag. 370. devotinis. leg. devotionis. Reliqua Benevolus Lector excuſabit, & corriget.

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Possidius

Vita S. Augustini et disquisitio critica gestorum S. Aug

Augusta Vindelicorum 1768

P.lat. 1611 e
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10743883-6
VD18 14520753-001